
ERASMUS
SOZ
1443

U.
975
USOZ
11443



© Biblioteca Nacional de España

© Biblioteca Nacional de España

© Biblioteca Nacional de España

PRINCIPIS CHRISTIANI

INSTITVTIO

Per Aphorismos digesta,

Auctore

DESIDERIO ERASMO

Roterodamo.

LUGDUNI BATAVORUM

Ex Officina IOANNIS MAIRE.

cIↃ IↃ C XLI.

© Biblioteca Nacional de España

© Biblioteca Nacional de España

Principis Christiani INSTITUTIO

Per Aphorismos digesta,

Auctore

DESIDERIO ERASMO

Roterodamo.

VBi receptum est suffragiis asciſci Principem, illic non perinde spectandæ sunt maiorum imagines, sive species corporis, aut proceritas, quod à barbaris nonnullis olim ineptissime factitatum legimus, atque indoles animi mansueta, placidaque, sedatum, ac minime præceps ingenium, nec ita concitatum, ut periculum sit, ne accedente fortunæ licentia erumpat in tyrannidem, & admonentem aut consulentem non ferat, nec rursus ita lentum, ut cuiuslibet arbitrio quovis duci sese patiatur. Spectandus & rerum usus,

© Biblioteca Nacional de España

sus, & ætas, nec ita gravis, ut iam obnoxia sit delirationi, nec ita virens, ut affectibus abripiatur. Fortassis & valetudinis habenda nonnulla ratio, ne subinde novus Princeps sit adhibendus, idque non citra Reip. dispendium.

Valetudo Principis.

In navigatione non ei committitur clavus, qui natalibus aut opibus, aut forma cæteris antecellit, sed qui peritia gubernandi, qui vigilantia, qui fide superat. Ita regnum ei potissimum est committendum, qui regiis dotibus anteit reliquos, nempe sapientia, iustitia, animi moderatione, providentia, studio commodi publici

Quibus rebus æstimandus Princeps.

Imagines, aurum, gemmæ nihilo plus habent momenti ad civitatis administrationem, quam eadem nauclero conductura sint ad navim gubernandam.

Quod unum oportet spectare Principem in administrando, id unum oportet spectare populum in Principe deligendo, nimirum publicam commoditatem, procul

Vtilitatis publicæ ratio.

© Biblioteca Nacional de España

cul ablegatis privatis affectibus.

Quo minus integrum est mutare quem delegeris, hoc circumspectius est diligendus, ne diutissime nos cruciet unius horæ temeritas.

Cæterum ubi nascitur Princeps, non eligitur, quod & olim apud barbaras aliquot nationes fieri solitum testatur Aristoteles, & nostris temporibus ubique fere receptum est, ibi præcipua boni Principis spes à recta pendet institutione, quam hoc diligentiorem etiam adhiberi conveniet, ut quod suffragiorum iuri detractatum est, id educandi studio pensetur. Proinde statim, ab ipsis (ut aiunt) incunabulis vacuum adhuc & rude futuri Principis pectus salutaribus opinionibus erit occupandum, ac protinus in puerilis animi novale iacienda honesti semina, quæ paulatim ætate & usu rerum suppullulent, ac matureſcant, & semel infixa in omnem usque vitam inhæreant. Nihil enim ita penitus insidit & inhæreſcit, ut quod primis

Educatio Principis.

Bonis opinionibus statim imbuendus Princeps

© Biblioteca Nacional de España

illis inferitur annis, in quibus quid imbibamus, cum in omnibus permultum refert, tum vero in Principe plurimum.

Ubi poteſtas non eſt deligendi Principem, ibi pari diligentia deligendus erit is, qui futurum inſtituat Principem.

Ut naſcatur probæ indolis Princeps, id votis optandum à ſuperis. Porro ne bene natus degeneret, aut ut parum bene natus educatione reddatur melior, id partim in nobis ſitum eſt.

Mos erat olim de Rep. benemeritis ſtatuas, arcus, ac titulos honoris gratia ponere. At nulli magis hoc honore digni ſunt, quam ii, qui in recte inſtituendo Principe fidelem ac ſtrenuam navarint operam, nec privatum emolumentum, ſed patriæ ſpectarint utilitatem. Omnia debet patria bono Principi. At hunc ipſum debet ei, qui rectis rationibus talem effecerit.

Statius formandi

Non aliud æque idoneum formandi,

© Biblioteca Nacional de España

mandi, corrigendive Principis tempus, quam cum ipſe nondum ſeſe Principem eſſe intelligit. Hoc igitur erit diligenter occupandum, non ſolum hactenus ut interim cohibeatur à turpibus, ſed etiam ut certis quibuſdam virtutum decretis imbuatur. dus Princeps.

Si tanta ſollicitudine parentes non omnino ſtulti puerũ educant unius agelli ſucceſſioni diſtinatum, quo tandem ſtudio, curaque educari par eſt eum, qui non unis ædibus, ſed tot populis, tot civitatibus, immo qui orbi inſtituitur, aut magno omnium commodo futurus vir bonus, aut magno omnium exitio futurus vir malus? Ab exemplo.

Magnificum ac præclarum bene gerere imperium. At non minus egregium, efficere ne ſuccedat deterior. Immo hoc vel præcipuum boni Principis munus eſt, dare operam ne poſſit eſſe malus Princeps. Quomodo educandi Principum filii.

Si imperato quaſi certes in hoc,

© Biblioteca Nacional de España

nequis tui ſimilis queat ſuccedere, at ſic interim liberos futuro parant imperio, tanquam id agas, ut tibi ſuccedat te melior.

Nulla pulchrior egregii Principis commendatio, quam ſi talem relinquat Reip. ad cuius collationem ipſe parum bonus videatur. Nec poterat illius gloria verius illuſtrari, quam ſic obſcurata.

Epiphonema ex contrariis.

Fœdiſſima commendatio eſt, quoties deterior ſuccedens facit ut ſuperior dum viveret intolerabilis, iam ut probus ac ſalutaris deſideretur.

Patriæ educandi qui patriæ nati ſunt.

Bonus ac ſapiens Princeps ita curet educandos liberos, ut illud ſemper meminerit ſe patriæ genitos, patriæ educare, non ſuis affectibus. Privatum parentis affectum ſemper publica vincat utilitas.

Quantumvis multas erigat ſtatuas, quantumvis operoſas tollat ſubſtructiones, non aliud pulchrius virtutum ſuarum monimentum poteſt relinquere princeps,

© Biblioteca Nacional de España

ceps, quam filium haud quaquam degenerem, qui patrem optimum optimis factis repræsentet. Non moritur, qui vivam sui reliquit imaginem.

Qualis deligendus institutor.

Deligat igitur ad hoc muneris ex universo suorum numero, aut etiam adsciscat undecunque viros integros, incorruptos, graves, longo rerum usu, non modo præceptiunculis doctos, quibus & ætas conciliet reverentiam, & vitæ synceritas auctoritatem, & morum comitas ac iucunditas amorem ac benevolentiam; vel ne instituentium acerbitate offensus tenellus animus, prius incipiat virtutem odisse quam nosse, vel rursus immodica indulgentia formantis corruptus, quo non oporteat degenerer.

Qualis Principis institutor.

Cum in omni institutione, tum vero potissimum in Principis ea moderatio est adhibenda, ut præceptoris severitas ætatis premat lasciviam, & nihilominus adiuncta morum comitas leniat,

© Biblioteca Nacional de España

condiatque cohibentis acrimoniam.

Annotandum Senecæ dictum.

Eiusmodi debet esse futuri Principis institutor, ut (quemadmodum eleganter à Seneca dictum est,) & obiurgare norit citra contumeliam, & laudare citra adulationem, quem ille simul & reverearur ob vitæ severitatem, & amet ob morum iucunditatem.

A simili.

Principum nonnulli magna cura dispiciunt quibus equum insignem, aut avem, aut canem curandum tradant, nihil autem refert putant cui filium formandum committant, quem sæpenumero talibus crédunt præceptoribus, qualibus nemo plebeius paulo cordatior suos liberos velit concredere. At quid retulerat filium genuisse imperio, nisi eundem cures educandum imperio?

Quæ nutrices & qui collusores adhibendi.

Ne nutricibus quidem quibuslibet est committendus imperio natus, sed integris, & ad id ipsum præmonitis & edoctis, nec collusoribus quibusvis admiscendus, sed

ſed bonæ verecundæque indolis pueris, ac liberaliter ſancteque habitis & inſtitutis. Laſcivorum iuvenum, ebrioſorum, turpiloquorum, in primis autem adulatorum turba procul ab huius auribus, atque oculis erit arcenda, dum nondum præceptis confirmatus animus.

Corrupta educatio.

Cum pleraque mortalium ingenia vergant in malum, ad hæc porro nullum tam feliciter natum ingenium, quod perverſa educatione non corrumpatur, quid niſi magnum malum expectes ab eo Principe, qui quocunque natus ingenio (neque enim imagines, ut regnum, ita mentem quoque præſtant) ſtatim ab ipſis incunabulis ſtultiſſimis inficitur opinionibus, enutritur inter ſtultas mulierculas, adoleſcit inter laſcivas puellas, inter colluſores perditos, inter abiectiſſimos aſſentatores, inter ſcurras & mimos, inter combibones & aleatores, ac voluptatum architectos iuxta ſtul-

© Biblioteca Nacional de España

tos, ac nequam, inter quos nihil audit, nihil discit, nihil imbibit, nisi voluptates, delicias, fastum, arrogantiam, avaritiam, iracundiam, tyrannidem, atque ab hac schola mox adhibetur ad regni gubernacula.

Maxime discenda regnandi ars.

Cum cæterarum artium optima quæque sit difficillima, nulla autem neque pulchrior ars, neque difficilior, quam bene regnandi, cur ad hanc unam nullam desideramus institutionem, sed satis esse ducimus natos esse?

Quæso quid exerceant adulti, nisi tyrannidem, qui pueri nihil etiam luserunt, nisi tyrannidem?

Ut omnes boni sint, vix etiam optari potest. At non difficile est ex tot hominum millibus unum, atque alterum deligere, qui probitate, sapientiaque præcellat, per quos compendio plurimi reddantur boni.

Princeps adolescens diu suspectam habeat suam ipsius ætatem, partim ob rerum imperitiam, partim

© Biblioteca Nacional de España

tim ob immoderatos animi impetus, caveatque ne quid magnæ rei tentet, niſi prudentium virorum conſilio, ut iuventutis impotentia maiorum reverentia temperetur. Quiſquis inſtituendi Principis ſuſcepit provinciam, illud etiam atque etiam ſecum cogitet, ſeſe rem haud quaquam vulgarem agere, ſed omnium ut longe maximam, ita longe periculoſiſſimam. Et in primis animum adferat eo munere dignum, neque ſpectet quantum ſacerdotiorum illinc poſſit auferre, ſed qua ratione poſſit patriæ ſuas ſpes, illius credenti fidei ſalutarem principem reddere.

Cogita moderator quantum tuæ debeas patriæ, quæ tibi felicitatis ſuæ ſummam concredidit. In re ſitum eſt utrum illi malis ſalutare quoddam parare numen, an fatalem peſtem, ac luem immittere.

Primum igitur ſagaciter animadvertat is, cui ſuum puerum in gremium dedit Reſp. quorſum iam

tum

tum vergat. Quandoquidem poteſt hoc quoque in ea ætate notis quibuſdam deprehendi num propenſior ſit ad iracundiam, aut arrogantiam, num ad ambitionem, aut famæ ſitim, num ad libidinem, aut aleam, aut pecuniæ ſtudium, num ad vindictam, aut bellum, num ad impotentiam, aut tyrannidem. Deinde qua ſenſerit illum proclivem ad vitium, ea primum muniat animum illius ſalubribus decretis, ac præceptis accommodis, coneturque ſequax adhuc ingenium in diverſum habitum trahere. Rurſum qua deprehenderit naturam ad honeſta proclivem, aut certe ad eiuſmodi vitia, quæ facile detorquentur ad virtutem, quod genus ſunt fortaſſis ambitio, & profuſio, hac magis inſtet, & naturæ commoditatem cultu adiuvet.

Inculcanda etiam quæ honeſta ſunt.

Neque ſatis eſt huiuſmodi decreta tradere, quæ vel à turpibus avocent, vel invitent ad honeſta, infigenda ſunt, infulcienda ſunt, incul-

© Biblioteca Nacional de España

inculcanda sunt, & alia atque alia forma renovanda memoriæ, nunc sententia, nunc fabella, nunc simili, nunc exemplo, nunc apophthegmate, nunc proverbio, insculpenda annulis, appingenda tabulis, asscribenda stemmatis, & si quid aliud est, quo ætas ea delectatur, ut undique sint obvia, etiam aliud agenti.

Optimis opinionibus imbuendus Princeps.

Vehementer inflammant generosos animos exempla celebrium virorum, sed multo maxime refert quibus opinionibus imbuantur. Ab his enim fontibus omnis vitæ ratio proficiscitur. Quod si rudem puerum erimus nacti, tum enitendum erit ut statim quam rectissimas ac saluberrimas imbibat, & veluti pharmacis quibusdam, adversus vulgarium opinionũ venena præmuniatur. Sin obtinget plebeiis opinionibus nonnihil infectus, tum primam oportebit esse curam, ut paulatim illis liberetur, pro repulsis pestiferis salutares inferendæ. Nam quemadmodum

Primum omnium

eſt eximere pravas opiniones.

dum apud Senecam Ariſton ait, inſano fruſtra præcipi quomodo loqui debeat, quomodo procedere, quomodo ſe gerere in publico, quomodo in privato, niſi prius atram bilem expuleris, ita fruſtra moneas de ratione gerendi principatus, ni prius animum falſiſſimis quidem illis, ſed tamen receptiſſimis opinionibus vulgi liberaris.

Nec eſt quod reſiliat, aut diffidat inſtitutor, ſi forte ferocius, aut intractabilius ingenium fuerit nactus. Cum enim nulla ſit tam effera, tam immanis bellua, quæ non manſueſcat cura domitoris & induſtria, cur exiſtimet ullum hominis ingenium tam agreſte, tamque deploratum, quod diligenti non miteſcat inſtitutione? Rurſum non eſt quod ceſſandum putet, ſi felicius ingenium contigerit. Etenim quo melior eſt ſoli natura, hoc magis corrumpitur, & inutilibus herbis, ac fruticibus occupatur, ni vigilet agricola.

© Biblioteca Nacional de España

la. Itidem ingenium hominis, quo felicius, quo generosius & erectius, hoc pluribus ac tetrioribus obducitur vitiis, ne salubribus præceptis excolatur.

Ea littora solemus diligentissime communire, quæ vehementissimam fluctuum vim excipiunt. Sunt autem innumeræ res, quæ possint Principum animos à recto dimovere, Fortunæ magnitudo, rerum affluentia, luxus, deliciæ, libertas, qua quicquid libet licet, exempla magnorum, sed stultorum Principum, ipsi rerum humanarum æstus ac procellæ, super omnia vero adulatio, fidei ac libertatis fuco personata. Quo diligentius erit optimis decretis, laudatorum Principum exemplis adversus hæc præmuniendus.

Quemadmodum non uno supplicio dignus sit, qui fontem publicum, unde bibant omnes, veneno inficiat, ita nocentissimus est, qui Principis animum pravis infecerit opinionibus, quæ mox

ὁμοίω-σις Plutarchi.

mox in tot hominum perniciem redundent.

Statim inserendæ bonæ opiniones.

Si capite plectitur, qui Principis monetam vitiarit, quanto dignior est eo supplicio, qui Principis ingenium corruperit?

Mature suum negotium aggrediatur institutor, ut teneris adhuc sensibus semina virtutum instillet, dum procul abest ab omnibus vitiis animus, & in quemvis sequax habitum fingentis obtemperat digitis. Est suæ & sapientiæ infantia, quemadmodum & pietati. Semper idem, sed alias aliter agendum. Iam tum infantulo fabellis amœnis, apologis festivis, lepidis parabolis, insinuet, quæ grandiori sit serio præcepturus.

Quis usus apologorum.

Ubi libenter audierit puellus Æsopicum apologum de leone muris beneficio vicissim servato, de columba formicæ opera incolumi, ubi satis arriserit, tum præceptor adjiciet eam fabellam ad Principem attinere, ne quem omnino despiciat, sed infimæ quoque

© Biblioteca Nacional de España

que plebis animos sibi benefactis studeat adiungere, quod nemo sit adeo imbecillis, quin & per occasionem prodesse queat amicus, & nocere inimicus, idque potentissimis etiam.

Ubi satis riserit aquilam avium reginam à scarabæo vilissimo insecto pene funditus extinctam, illud addat ad huius exemplum, ne potentissimo quidē Principi quantumvis humilem hostem aut provocandum, aut negligendum. Nam sæpenumero ingenio nocere, qui viribus non possint.

Ubi Phaëtontis fabulam cum voluptate didicerit, admoneat hanc esse Principis imāginem, qui ætatis calore præceps, sed nulla adiutus sapientia rerum habenas capessit, suo pariter & orbis malo subvertit omnia. Quis usus fabularum.

Ubi Cyclopis ab Ulysse exoculati denarrata erit fabula, addat ei Polyphemo simillimum Principem, qui viribus quidem polleat, careat autem sapientia.

Quis

Quis usus similium.

Quis non libenter auſcultet apium & formicarum politiam? Hæc ubi illecebra deſcenderit in animum puerilem, tum eliciat inſtitutor quod ad Principis pertineat eruditionem, velut illud, quod rex nunquam procul avolat, alis quam pro corporis portione minoribus, quod ſolus aculeo careat, admonens hoc eſſe boni Principis, ſemper intra regni terminos verſari, & peculiarem huius laudem eſſe clementiam. Atque ad eundem modum faciat & in cæteris. Neque enim eſt huius inſtituti exempla perſequi, ſed rationem, ac viam indicare.

Si qua videbantur acerbiora, ea formator orationis iucunditate leniat, atque edulcet. Laudet apud alios, ſed honeſtis ac veris titulis, obiurget privatim, ſed ita, ut ſeveritatem admonitionis aliqua leniat ſuavitate, præſertim ſi fuerit adultior.

Chriſti decreta ſummum

Illud ante omnia, ac penitus infigendum animo Principis, ut

de

© Biblioteca Nacional de España

de Christo quam optime sentiat, huius dogmata commode collecta protinus combibat, idque ex ipsis statim fontibus, unde non solum purius hauriuntur, verum etiam efficacius. Hoc illi persuadeatur, quod ille docuit, ad neminem magis pertinere, quam ad Principem. iosigenda.

Magna pars multitudinis falsis ducitur opinionibus, nec secus atque hi, qui in specu Platonico vincti desident, inanes rerum umbras pro veris rebus admirantur. At boni Principis partes sunt, nihil horum mirari, quæ vulgus hominum magni facit, sed omnia veris malis, ac veris bonis metiri. Nihil autem esse vere malum, nisi quod cum turpitudine coniunctum sit, nihil vere bonum, nisi quod cum honestate copulatum, Nihil bonum præter unam virtutem.

Statim igitur hoc agat moderator, ut virtutum ceu rem omnium pulcherrimam ac felicissimam, & præcipue Principe dignam amet, ac suspiciat. Turpitudinem ceu rem

rem fœdiſſimam, ac miſerrimam execremur, horreatque.

Qui veri honores.

Ne conſueſcat puer ille regno deſtinatus ſuſpicere divitias ut rem eximiam, per fas & nefas expetendam, diſcat iſtos non eſſe veros honores, qui vulgo vocentur. Verum honorem decus eſſe, quod virtutem, & recte facta ſuapte ſponte conſequatur, & tanto conſequatur illuſtrius, quanto minus fuerit affectatum.

Quæ veræ voluptates.

Voluptates iſtas plebeias adeo non eſſe dignas Principe, & Chriſtiano Principe, ut vix hominem deceant. Oſtendatur aliud eſſe voluptatis genus, quod ſyncerum, ac perpetuum in omnem uſque vitam homini duret.

Vera nobilitas.

Audiat nobilitatem, imagines, ceras, ſtemmata, & totum illam caduceatorum pompam, qua procerum vulgus muliebiter intumeſcit, nomina eſſe inania, niſi quicquid eſt hoc nominis, ab honeſto fuerit profectum.

Vera majeſtas.

Principis dignitatem, amplitudinem,

© Biblioteca Nacional de España

dinem, maiestatem, non fortunæ strepitu, sed sapientia, integritate, recte factis, parandam, & tuendam esse.

Mortem non esse formidandam, nec in aliis deplorandam, nisi fuerit turpis. Non enim esse feliciorem, qui diutius vixerit, sed qui honestius. Recte factis, non annis metiendam longævitatem. Neque quicquam ad hominis felicitatem interesse quam diu vivat, sed quam bene.

Propter seipsa expetenda honesta.

Virtutem ipsam abunde magnum sui præmium esse. Boni Principis esse munus vel sua morte, si fors ita res tulerit, populi commodis consulere. Nec perire Principem, qui huiusmodi immoriatur negotio. Denique quæcunque vulgus vel amplectitur tanquam iucunda, vel suspicit tanquam splendida, vel sequitur tanquam utilia, sola honesti regula esse metienda. Contra, quæcunque vulgus vel horret ut acerba, vel fastidit ut humilia, vel fugit

© Biblioteca Nacional de España

git ut damnosa, non aliter esse fugienda, nisi si fuerint cum dedecore coniuncta.

Hæc infigantur animo Principis futuri, hæc ceu leges sanctissimæ, καὶ ἀκίνητοι tenello pectusculo insculpantur. His titulis audiat laudari multos, audiat alios diversis reprehendi, ut iam tum assuescat ex optimis rebus veram sperare laudem, & ex vere turpibus ignominiam detestari.

At hic protinus reclamabit ex aulicis istis nugonibus quispiam quavis muliere tum stultior, tum corruptior. Tu philosophum nobis formas, non Principem. Immo Principem fingo, cum tu pro Principe vappam malis tui similem. Ni philosophus fueris, Princeps esse non potes, tyrannus potes. Principe bono nihil est melius, tyrannus eiusmodi belua est, ut non sit aliud sub sole portentum neque noxium æque, neque magis invisum omnibus.

Sententia Platonis.

Ne putaris temere dictum à Plato-

Platone, & à laudatiſſimis laudatum viris, ita demum beatam fore Remp. ſi aut philoſophentur Principes, aut philoſophi capeſſant principatum. Porro philoſophus is eſt, non qui dialecticen, aut phyſicen calleat, ſed qui contemptis falſis rerum ſimulachris infracto pectore vera bona & perſpicit, & ſequitur. Vocabulis diverſum eſt, cæterum re idem, eſſe philoſophum, & eſſe Chriſtianum.

Quid ſtultius, quam his artibus metiri Principem? ſi belle ſaltitet, ſi dextre ludat alea, ſi gnaviter potitet, ſi faſtu turgeat, ſi regaliter expilet populum, ſi cætera faciat, quæ nos puder referre, cum quoſdam haud pudeat facere. Quid vere dignum Principe.

Quantopere Principum vulgus ſtudet abeſſe à cultu, victuque plebeio, tantopere verus Princeps debet abeſſe à ſordidis opinionibus, ac ſtudiis vulgi. immo ſolum hoc ſordidum, vile, ſeque Excellentia Principis in quibus ſita.

© Biblioteca Nacional de España

indignum ducat, cum plebecula ſentire, cui nunquam optima placuerunt.

Cogita quæſo quam ſit abſurdum gemmis, auro, purpura, ſatellitio, reliquiſque corporis ornamentis, ceris, & imaginibus, planeque bonis non tuis omneis tanto intervallo ſuperare, veris animi bonis multis è media fece plebis inferiorem conſpici.

Exemplum in Principe.

Princeps, qui gemmas, aurum, purpuram, ac reliquam fortunæ pompam civibus ſuis oſtentat, quæſo quid aliud, quam ſuos id ſuſpicere, mirarique docet, unde omnium ferme maleficiorum ſententina naſcitur, quæ Principum legibus puniuntur?

In aliis frugalitas, aut mundicies vel inopiæ tribui poteſt, vel parſimoniæ, ſiquis iniquius interpretetur. At eadem in principe nihil aliud eſſe poteſt, quam temperantiæ documentum, cum is rebus modice utitur, cui quantum libet, tantum ſuppetit.

Qui

© Biblioteca Nacional de España

Qui convenit eundem irritare vitia, qui punit admissa? & nonne turpissimum sit, siquis ea sibi permittat, quæ vetet ab aliis fieri?

Si te voles excellentem Principem ostendere, vide ne quis te propriis superet bonis, sapientia, animi magnitudine, temperantia, integritate. Sin tibi visum erit cum aliis certare Principibus, non ita te superiorem existimes, si quam illis ditionis partem ademeris, aut copias fuderis, sed si fueris quam illi sunt, incorruptior, minus avarus, si minus arrogans, quam illi, si minus iracundus, si minus præceps, quam illi.

Tria nobilitatis genera.

Principem summa decet nobilitas. Esto. verum cum tria sint nobilitatis genera, unum, quod ex virtute, rectèque factis nascitur, proximum, quod ex honestissimarum disciplinarum cognitione proficiscitur, tertium, quod natalium picturis, & maiorum stemmatis æstimatur, aut opibus, cogita quam non conveniat Princi-

© Biblioteca Nacional de España

pem infimo genere nobilitatis intumeſcere, quod ſic infimum eſt, ut nullum omnino ſit, niſi & ipſum à virtute fuerit profectum; ſummum illud negligere, quod ita ſummum eſt, ut ſolum optimo iure poſſit haberi. Si clarus videri ſtudes, ne oſtentes ſculptas, aut coloribus adumbratas imagines; in quibus ſiquid verę laudis eſt, id pictori debetur, cuius ingenium, & induſtriam arguunt. Quin potius virtutis monimenta moribus exprimito.

Inſignia Principum.

Si cætera deſint, vel ipſa tuæ celſitudinis ornamenta monere te poſſunt officii. Quid ſibi vult unctio, niſi ſummam in Principe lenitatem, ac manſuetudinem? quod fere magnæ potentiæ comes eſſe ſoleat crudelitas. Quid aurum indicat, niſi ſingularem ſapientiam? Quid gemmarum fulgor, niſi virtutes eximias, minimeque plebeias? Quid ardens purpura, niſi ſummam erga Rempub. charitatem? Quid ſceptrum, niſi tenacem

© Biblioteca Nacional de España

cem iustitiæ animum, & nullis avocamentis à recto deflectentem? Cæterum ab hisce rebus si quis longissime absit, ei non ornamenta sunt hæc symbola, sed vitiorum exprobramenta.

Si torques, si sceptrum, si purpura, si satellitium regem faciunt, quid tandem vetat pro regibus haberi tragœdiarum histriones, qui iisdem ornati prodeunt in scenam? Vis scire quid Principem ab histrione secernit? nempe animus Principe dignus, hoc est in Rempub. paternus. Hac lege populus in tua iuravit verba. Animus Principem facit, non cultus.

Diadema, sceptrum, trabea, torques, baltheus, in bono Principe virtutum aut insignia sunt, aut symbola, in malo vitiorum notæ.

Quo turpius est, hoc magis erit cavendum ne talis sit Princeps, quales olim fuisse permultos legimus, & utinam hodie nullos videre sit, quibus si regum detraxeris ornatum, & adventitiis nuda-

© Biblioteca Nacional de España

tos bonis ad ſuam cutem redegeris, iam nihil relinquas, præter egregium aleatorem, invictum potorem, acrem expugnatorem pudicitiæ, vaferrimum impoſtorem, inſatiabilem expilatorem, periuriis, ſacrilegiis, perfidiis, omnique facinorum genere coopertum hominem.

Quoties venit in mentem te Principem eſſe, pariter ſuccurrat & illud, te Chriſtianum eſſe principem, ut intelligas te à laudatis quoque gentilium Principibus tantum oportere abeſſe, quantum abeſt ab ethnico Chriſtianus.

Magna Chriſtianorum omnium profeſsio.

Neque vero putes ſecuram, aut delicatam Chriſtiani profeſſionem, niſi forte leve putes ſacramentum, quod æque cum omnibus in baptiſmo iuraſti, ſemel omnibus renuntiare, quæ ſatanæ placent, & Chriſto diſplicent. Diſplicent autem quæcunque ab euangelicis decretis abhorrent.

Sacramenta Chriſti tibi cum aliis communia ſunt, & doctrinam

© Biblioteca Nacional de España

nam non vis esse communem? In Christi verba iurasti, & in Iulii aut Alexandri magni mores digrederis? præmium tibi postulas esse commune, & illius decreta nihil ad te pertinere putas?

Qui vere Christianus.

At rursum ne putaris Christum situm esse in ceremoniis, hoc est in præceptis duntaxat utcunque servatis, & ecclesiæ constitutionibus. Christianus est, non qui lotus est, non qui unctus, non qui sacris adest, sed Christum intimis complectitur affectibus, ac piis factis exprimit.

Cave nequando sic tecum cogites: cur ista mihi canuntur? non sum privatus, non sum sacerdos, non sum monachus, sed illud cogita: Christianus sum & Princeps. Christiani est ab omni turpitudine prorsus abhorrere. Principis est integritate, prudentiaque cæteros antecellere.

Si hoc à tuis exiges, uti leges tuas cognoscant, & cognitas servent, multo magis à teipso debes

© Biblioteca Nacional de España

exigere, ut Christi imperatoris tui leges ediscas, & observes. Si iudicas infame crimen, & cui nullum suppliciũ par inveniri possit, ab Imperatore desciscere, qui semel in illius verba iurarit, cur ipse tibi ignoscis, lusum ac iocum existimans quoties edicta Christi negligis, in cuius verba iuratum est in baptismo? cui nomen dedisti? cuius sacramentis adactus es, & auctoratus?

Si hæc serio fiunt, cur pro ludo ducimus? sin ludus est, cur Christi titulo gloriamur? Mors æqua est omnibus, mendicis iuxta ac regibus; at post mortem iudicium haud æquum est omnibus, in quo cum nullis severius agetur, quam cum potentibus.

Ne putaris te Christum satis tibi demeriturum, si classem miseris in Turcas, si sacellum, aut monasteriolum extruxeris. Non alio officio potes magis tibi conciliare Deum, quam si populo salutarem præstes Principem.

Cave

© Biblioteca Nacional de España

Cave ne te fallant adulantium voces, qui ita dictitant: huiusmodi præcepta non ad principes, sed ad ecclesiasticos, quos vocant, pertinere. Princeps non est sacerdos, fateor, & ideo non consecrat corpus Christi. non est Episcopus, ac proinde non concionatur apud populum de Christi mysteriis, nec administrat sacramenta. Non est professus institutum divi Benedicti, & ob id non gestat cucullam. Verum quod his omnibus maius est, Christianus est. Non Francisci, sed ipsius Christi institutum professus est, ab hoc candidam accepit vestem. Cum cæteris Christianis certet oportet, si cum cæteris tanta sperat præmia. Aut tua crux tibi quoque tollenda est, aut non agnoscet te Christus. Quæ tandem mea crux? inquies. Dicam. dum quod rectum est, sequeris, dum nemini vim facis, neminem expilas, nullum vendis magistratum, nullo munere corrumperis, nimirum

minus habebit tuus fiſcus, contemne fiſci detrimentum, dummodo lucrum facias iuſtitiæ. Ad hæc, dum modis omnibus Reipub. conſulere ſtudes, ſollicitam agis vitam, fraudas ætatem ac genium tuum voluptatibus, maceras te vigiliis ac laboribus, neglige, & oblecta te conſcientia recti. Item, dum ferre mavis iniuriam, quam magno Reipub. detrimento ulciſci, fortaſſe decedit nonnihil imperio tuo. Feras, illud abunde magnum lucrum eſſe ducens, quod paucioribus nocueris. Sollicitant animum tuum privati affectus, quod genus ira contumeliis commota, aut uxoris amor, aut inimici odium, aut pudor, ut facias quod abhorret à recto, & quod ex uſu Reipub. non ſit, vincat utilitas publica privatos animi motus. Denique non potes tueri regnum, niſi violata iuſtitia, niſi magna ſanguinis humani iactura, niſi religionis ingenti diſpendio; depone potius, ac cede tem-

© Biblioteca Nacional de España

tempori. Non potes ſuccurrere rebus tuorum, niſi vitæ tuæ periculo, publicam ſalutem antepone vitæ. At dum hæc agis, quæ vere Principis ſunt Chriſtiani, erunt fortaſſis qui te ſtupidum dicant, parumque principem, obfirma animum, ut malis eſſe vir iuſtus, quam Princeps iniuſtus. Vides opinor, quam nec regibus ſummis deſit ſua crux, ſi, quod oportet, ubique rectum ſequi velint.

Principi erranti non datur venia.

In aliis nonnihil conceditur adoleſcentiæ, aliquid donatur ſenectuti, error illi, huic otium, & ceſſatio.

At qui principis munus ſuſcepit, quandoquidem omnium agit negotium, nec adoleſcentem eſſe licet, nec ſenem, propterea quod non niſi magno plurimorum malo errat, nec ſine graviſſima pernicie ceſſat in officio. Miſeram prudentiam dixere veteres, quæ rerum experimentis comparatur, propterea quod hanc ſuo quiſque malo conſequitur. Hanc igitur

© Biblioteca Nacional de España

oportet quam longiſſime abeſſe à Principe, quæ ut ſervis, ita non ſine immenſis totius populi malis contingit.

Non putaram. Si recte dixit Aphricanus indignam viro ſapiente vocem eſſe, Non putaram; quanto magis indigna videbitur Principe, quæ cum ipſi magno, tum nimio conſtat Reip.? Semel fortaſſe temere ſuſceptum bellum à iuvene belli imperito durat in annum vigeſimum. Quantum hinc malorum omnium mare? Tandem reſipiſcens nimium ſero dicit: Non putarã. Semel ad privatos affectus, aut ad preces aliquorum corruptos inſtituit magiſtratus, qui totam Reip. diſciplinam ſubvertunt. Sentit tandem, & non putaram inquit. At iſta prudentia nimio emetur patriæ, ſi tanti cætera omnia erunt emenda.

Proinde principis animus ante omnia decretis, ac ſententiis erit inſtruendus, ut ratione ſapiat, non uſu.

Porro

© Biblioteca Nacional de España

Porro rerum experientiam, quam ætas negavit, ſeniorum conſilia ſupplebunt.

Ne tibi putes licere quicquid libuerit, quod ſtultæ mulierculæ, & adulatores ſolent principibus occinere; verum ita temetipſum inſtituas, ut non libeat niſi quod licet, immo nec hoc tibi licere credas, quod licet privatis. Quod in aliis error eſt, in Principe flagitium eſt.

Quo tibi plus licet per alios, hoc minus ipſe tibi permittas oportet, & hoc in te ipſum ſis ſevcrior, quo magis indulgent omnes, ipſe tibi ſis cenſor acerrimus, etiam cum applauſerint omnes.

Tua in conſpicuo vita eſt, latere non potes, aut magno omnium bono bonus ſis neceſſe eſt, aut magna omnium pernicie malus.

Quo plus honorum tibi defertur ab omnibus, hoc impenſius operam da ne deferantur indigno. Ut nullus par meritis honos, aut

gratia

© Biblioteca Nacional de España

gratia rependi poteſt bono Principi, ita contra malo nullum ſatis meritis dignum ſupplicium.

Ut nihil eſt in rebus humanis ſapiente, bonoque monarcha magis ſalutare, ita è diverſo, ſtulto, maloque nihil poteſt exiſtere peſtilentius.

Nullius peſtilentiæ neque citius corripit, neque latius ſerpit contagium, quam mali Principis. Contra, non alia brevior aut efficacior ad corrigendos populi mores via, quam Principis incorrupta vita.

Vulgus nihil imitatur libentius, quam quod à ſuo Principe fieri conſpexerit. Sub aleatore paſſim luditur alea, ſub bellaci bellaruriunt omnes, ſub comeſſatore luxu diffluunt, ſub libidinoſo lenocinantur, ſub crudeli deferunt, & calumniantur. Evolve veterum hiſtorias, reperies ſemper eiuſmodi fuiſſe ſæculi mores, cuiuſmodi fuerat Principis vita.

Nullus cometes, nulla vis fatalis

alis sic afficit res mortalium, ut ita Principis rapit ac transformat mores, & animos civium.

Principis exemplum efficacissimum.

Plurimum ad id habent momenti studia, moresque sacerdotum; & episcoporum (fateor) sed multo magis Principum: nam illos citius calumniantur homines, si forte mali fuerint, quam imitantur, si boni sint.

Quemadmodum monachi non admodum incitant ad imitationem sui, si pii sint, quod id modo præstare videantur, quod profitentur, cæterum si impii, vehementer offendunt omnium animos. Ad Principis autem æmulationem nemo non exstimulatur.

Princeps vel ob hoc ipsum cavere debet ne malus sit, ne tam multos exemplo suo reddat malos. Et vel ob hoc studebit esse bonus, quo tam multos efficiat meliores.

Bonus Princeps Dei imago.

Princeps salutaris (ut erudite dictum est à Plutarcho) vivum quoddam est Dei simulacrum, qui simul

ſimul & optimus eſt, & potentiſſimus, cui bonitas hoc præſtat, ut omnibus prodeſſe velit, potentia, ut quibus velit, poſſit quoque,

E diverſo malus, ac peſtilens princeps mali dæmonis imaginem repræſentat, cui multum adſit potentiæ cum ſumma malitia coniunctum. Quicquid habet virium, id omne conſumit ad calamitatem humani generis. An non huiuſmodi quidam orbis malus genius fuit Nero? an non Caligula? an non Heliogabalus? quorum non ſolum omnis vita peſtis quædam mundi fuit, ſed ipſa etiam memoria publicæ mortalium execrationi eſt obnoxia.

At tu, qui Chriſtianus etiam es Princeps, cum audis aut legis te Dei ſimulacrum eſſe, te Dei vicarium eſſe, cave nequid hinc intumeſcas animo, quin potius ea res te magis ſollicitum reddat, ut reſpondeas archetypo tuo, pulcherrimo quidem illi, ſed quod aſſequi ſit difficillimum, non aſſequi turpiſſimum. Theo-

© Biblioteca Nacional de España

Theologia Christianorum tria præcipua quædam in Deo ponit, summam potentiam, summam sapientiam, summamq; bonitatem. Hunc ternarium pro viribus absolvas oportet. nam potentia sine bonitate mera tyrannis est, sine sapientia pernicies, non regnum. Primum igitur des operam, ut quandoquidem potentiam fortuna dedit, quam maximam sapientiæ vim tibi compares, ut unus omnium optime quid expetendum, quidve fugiendum sit, perspicias: deinde ut quam maxime prodesse studeas omnibus. nam id est bonitatis.

Tria in Principe quemadmodum in Deo.

Potestas autem ad hoc potissimum tibi serviat, ut quantum cupis prodesse, tantundem & possis, immo plus velis quam possis. Porro nocere hoc minus velis, quo magis potes.

Deus amatur à bonis omnibus, non timetur, nisi à malis. hoc duntaxat genere timoris, quo quis timet, ne sibi noceatur. Ita bonus princeps

Princeps bonis amabilis.

© Biblioteca Nacional de España

princeps nulli debet esse formidabilis, nisi sontibus ac sceleroſis, ai ita rursus, ut his quoque spes veniæ reliqua fiat, si modo fuerint sanabiles. Ex adverso, Cacodæmon amatur à nemine, formidatur ab omnibus, præcipue bonis: nam malis cum illo convenit. Ita tyrannus optimis quibusque maxime est invisus, & nullus est ab hoc minus alienus, quam qui pessimus est.

Perspexisse videtur hæc divus ille Dionysius, qui treis fecit hierarchias, ut quod Deus est inter cœlitum ordines, id Episcopus sit in Ecclesia, id Princeps in Repub. illo nihil melius, & ab eo, velut à fonte manat in alios quicquid boni possidet. Vehementer igitur absurdum videatur, si ab eo maxima Reip. malorum pars oriatur, ubi fontem bonorum oportebat esse.

Summa spes consilii in Principe.

Populus suapte natura tumultuatur, magistratus facile corrumpit, aut avaritia, aut ambitio. Una supersit, veluti sacra anchora, incor-

© Biblioteca Nacional de España

incorruptus Principis animus, quod si is quoque stultis opinionibus, pravis affectibus vitiatus est, quæ tandem potest esse Reip. spes?

Collario Dei & Principis boni.

Deus, cum sit in omnia beneficus, ipse nec eget ullius officio, nec requirit beneficium. Ita vere magni principis est, & æterni Principis imaginem referentis, vel gratis bene mereri de omnibus, nullo vel emolumenti vel gloriæ respectu.

Deus, ut pulcherrimum sui simulacrum in cœlo constituit in solem, ita inter homines evidentem, ac vivam sui collocavit imaginem regem. At sole nihil communius, ac cæteris item corporibus cœlestibus lucem suam impartit, ita Princeps publicis usibus maxime debet esse expositus, & nativum sapientiæ lumen habere domi, ut etiam siquid cæcutiant cæteri, nunquam tamen ille hallucinetur.

Deus, cum nullis tangatur affecti-

© Biblioteca Nacional de España

fectibus, tamen optime mundum administrat iudicio. Ad huius exemplum princeps in omnibus, quę gerit, exclusis animi motibus rationem, & animi iudicium debet adhibere. Deo nihil sublimius: ita principem oportet ab humilibus vulgi curis, ac sordidis affectibus quam longissime semotum esse.

Annotandum. Ut Deum omnia moderantem nemo tamen cernit, sed sentit, idque beneficio adiutus: ita patria non sentiat principis vires, nisi cum illius sapientia, bonitateque sublevatur. Contra tyranni nusquam sentiuntur, nisi omniũ malo.

Longanimitas. Sol cum altissime provectus est in Zodiaco, tum tardissimi motus est: ita quo fortuna te subvexerit altius, hoc oportet animo leniori, minusque feroci esse.

Vera magnanimitas. In hoc præstanda est vera animi celsitudo, non ut nihil contumeliæ pati possis, non uti neminem feras te regnare latius, sed uti dedigneris quicquam admittere principe indignum.

Cum

© Biblioteca Nacional de España

Cum omnis ſervitus & miſera eſt & fœda, tum vero fœdiſſimum ſimul & miſerrimum ſervitutis genus ſervire vitiis, aut ſordidis affectibus. Vera ſervitus.

Quid quæſo turpius aut abiectius, quam libidini, iracundiæ, avaritiæ, ambitioni, aliiſque id genus inſolentiſſimis dominis ſervire eum, qui ſibi vindicat imperium in homines liberos?

Quam abſurdum ſit cum apud ethnicos fuiſſe conſtet, qui maluerunt ſibi necem conſciſcere, quam cum humani ſanguinis iactura tueri imperium, quique Reipub. commoditatem antepoſuerint ſuæ vitæ, Chriſtianum Principem tanta Reipub. pernicie voluptatibus, aut affectibus vitioſis conſulere? Codrus, & Otho.

Cum principatum ſuſcipis, ne cogita quantum accipias honoris, ſed quantum oneris ac ſollicitudinis: neque cenſum ac vectigalium modũ expende, ſed curam, nec arbitreris tibi prædam obtigiſſe, ſed adminiſtrationem. Nul-

© Biblioteca Nacional de España

Nova Platonis sententia.

Nullus imperio gerendo censetur idoneus auctore Platone, nisi qui coactus & invitus suscipit imperium. Quisquis enim affectat principis munus, is aut stultus sit necesse est, qui non intelligat quam sollicita, quamque periculosa res sit recte fungi regis officio, aut adeo vir malus, ut in animo habeat sibi gerere imperium, non Reipub. aut adeo socors, ut non expendat onus, quod suscipit. Oportet autem hunc, qui sit idoneus regno, simul & diligentem esse, & bonum, & sapientem.

Quo ditionem suscipis ampliorem, cave ne hoc tibi videare fortunatior, sed memineris te hoc plus curarum, ac sollicitudinum in humeros recipere, ut minus iam indulgendum sit otio, minus dandum voluptatibus. Ii demum Principis titulo digni sunt, non qui Rempub. sibi, sed se Reip. dicant. Etenim qui sibi gerit imperium, & omnia suis metitur commodis, is, non refert quibus ornetur

© Biblioteca Nacional de España

netur titulis, certe re tyrannus est, non Princeps. Ut autem nulla pulchior appellatio quam Principis, ita nulla invisior, & omnium sensibus exsecratior quam tyranni.

Hoc interest inter Principem ac tyrannum, quod inter propitium patrem, & immitem dominum. Ille cupit etiam vitam liberis suis impendere, hic nihil aliud spectat, quam suum emolumentum, aut animo suo morem gerit, non suorum commodis consulit.

Neque tuo sit animo satis si Rex, aut Princeps dicaris, possederunt hos titulos & orbis pestes Phalaris, ac Dionysius, sed apud tuum ipsius animum expendito quid sit. Vere siquidem à Seneca dictum est tyrannum à rege distare factis, non nomine.

Quomodo tyrannum à rege distinxerit Aristoteles.

Id ut compendio dicam, hac nota principem à tyranno distinguit in Politicis Aristoteles, quod hic suis studet commodis, ille Reip. Princeps quacunque de re deliberans illud semper in animo spectat,

© Biblioteca Nacional de España

ſpectat, num expediat univerſis civibus. Tyrannus illud conſiderat, an ſibi conducat. Princeps etiam ſuum agens negotium, tamen potiſſimum ſuorum ſpectat utilitatem.

Contra tyrannus ſiquando benemeretur de civibus, tamen hoc ipſum ad privatam ſuam refert utilitatem.

Qui ſuos eatenus curant, quatenus expedit propriis commoditatibus, ii non alio loco cives ſuos habent, quam vulgus hominum equos, & aſinos. Nam hos quoque curant illi, ſed omnem curationem ſuis, non illorum uſibus metiuntur. Cæterum qui rapacitate deglubunt populum, aut crudelitate laniant, aut ob ambitionem ſuam periculis omnibus obiiciunt, ii peiore loco cives habent liberos, quam vulgus empta iumenta, aut laniſtæ ſua mancipia.

Qui nobiles tyrannide.

Curabit igitur qui Principem inſtituit, nominum etiam ipſo-

rum

rum odium inſtillare futuro Principi, tyrannidis ac dominii, frequenter execrans humano generi deteſtata vocabula, Phalaridis, Mœzentii, Dionyſii Syracuſani, Neronis, Caligulæ, Domitii, qui Deus ac dominus dici voluerit.

Contra ſi qua ſunt exempla bonorum principum, qui vehementer abſint ab imagine tyranni, ea cum favore & laude crebro ſtudeat proponere. Deinde utriuſque velut imaginem quandam depingat, & quoad poterit, oculis animoque repræſentet regis ac tyranni, ut ad illam magis inflammetur, ab hac vehementius abhorreat.

Pictura boni Principis.

Delinier igitur cœleſte quoddam animal, numini quam homini ſimilius, omnibus virtutum numeris abſolutum; omnium bono natum, immo datum à ſuperis ſublevandis rebus mortalium, quod omnibus proſpiciat, omnibus conſulat, cui nihil ſit anti-

© Biblioteca Nacional de España

quius, nihil dulcius Repub. cui pluſquam paternus ſit in omneis animus, cui ſingulorum vita carior ſit quam ſua, quod nocteis ac dies nihil aliud agat, nitaturque, quam ut optime ſit omnibus, apud quem præmia parata ſint bonis omnibus, malis venia, ſi modo ſeſe ad frugem meliorem referant, quod adeo gratis cupiat de civibus ſuis benemereri, ut ſi neceſſe ſit, non dubitet ſuo periculo illorum incolumitati conſulere, quod patriæ commodum ſuum ducat eſſe lucrum, quod ſemper vigilet, quo cæteris liceat alrum dormire, quod ſibi nullum relinquat otium, quo patriæ liceat in otio vitam agere, quod ſe iugibus curis diſcruciet, quo civibus ſuppetat tranquillitas. A cuius unius virtute publica pendeat felicitas. Et hanc admoneat eſſe veri Principis imaginem.

Pictura mali Principis.

Ex adverſo ſubjiciat oculis immanem quandam ac tetram beluam è dracone, lupo, leone, vipera,

© Biblioteca Nacional de España

pera, urſo, ſimilibuſque conflatam portentis, undique ſexcentis armatam oculis, undique dentatam, undique metuendam aduncis unguibus, ventre inſatiabili, humanis ſaginatam viſceribus, humano ſanguine temulentam, quæ pervigil omnium fortunis vitæque immineat, infenſam omnibus, ſed præcipue bonis, fatale quoddam totius orbis malum, quam execrentur & oderint univerſi, qui bene velint Reip. quæ nec ferri poſſit ob immanitatem, nec tolli ſine magna orbis ruina, ob præſidiis & opibus armatam malitiam. Et hanc eſſe tyranni imaginem, aut ſi quid hac quoque fingi poſſit odioſius.

Huiuſmodi portentum erat Claudius, huiuſmodi Caligula, huiuſmodi Poetarum quoque fabulæ fingunt Buſyridem, Pentheum, ac Midam, quorum nomina iam in publicum generis humani odium abiere.

Tyranno propoſitum eſt ſequi

© Biblioteca Nacional de España

Differentia regis, ac tyranni.

quicquid animo collibuit. Regi contra, quod rectum ſit, & honeſtum. tyranni præmium divitiæ, regis honos, qui virtutem conſequitur. tyrannus adminiſtrat metu, dolo, ac malis artibus, Rex ſapientia, integritate, beneficentia. tyrannus ſibi gerit imperium, Rex Reip. tyrannus barbarico ſatellitio, & conductitiis latronibus tuetur incolumitatem ſuam, Rex ſe ſua erga cives beneficentia, & civium erga ſe benevolentia ſatis tutum putat. Tyranno ſuſpecti ſunt & inviſi, quicunque civium virtute, prudentia, aut auctoritate pollent. At hos rex ut adiutores, & amicos potiſſimum amplectitur. Tyrannus aut ſtupidis delectatur, quibus imponat, aut ſceleratis, quibus ad ſuæ tyrannidis præſidium abutatur, aut adulatoribus, à quibus audiat, quod libenter facit. Contra regi ſapientiſſimus quiſque gratiſſimus eſt, cuius conſilio poſſit iuvari. quo quiſque melior eſt vir, hoc pluris facit,

© Biblioteca Nacional de España

facit, quod huius fidei tuto possit credere: & liberos amat amicos, quorum consuetudine reddatur melior. Et regum, & tyrannorum multæ sunt manus, multi oculi, sed longe diversa membra. Tyrannus hoc agit, ut civium opes ad paucos, eosque pessimos conferantur, & attenuatis suorum viribus, suam communiat potentiam. Rex hoc maxime in suo fisco esse ducit, quod in ære sit civium. Tyrannus hoc agit, ut omnes sibi legibus, aut delationibus habeat obnoxios, Rex libertate civium delectatur. Tyrannus metui studet, rex amari. Tyrannus nihil æque suspectum habet, atque civium bonorum, & civitatum concordiam, qua præcipue gaudent boni principes. Tyrannus gaudet inter cives factiones ac dissidia serere, & simultates forte fortuna obortas diligenter alit, ac provehit, atque his rebus ad suæ tyrannidis communitionem abutitur. At hoc unicum regi studium est,

© Biblioteca Nacional de España

civium concordiam alere, & ſiquid ortum fuerit diſſenſionis, continuo rem inter eos componere, nimirum intelligens hanc eſſe graviſſimam rerum publicarum peſtem.

Tyrannus ſi ſenſerit florere Rẽp. repertis titulis, aut immiſſis etiam hoſtibus, bellum excitat, ut hac occaſione vires ſuorum attenuet. Contra rex omnia facit ac patitur, quo pacem publicam reddat perpetuam, intelligens ex bello ſemel omnia Reipub. mala proficiſci. Tyrannus leges, conſtitutiones, edicta, fœdera, denique ſacra, prophanaq; ad ſui capitis tutelam aut inſtituit, aut pertrahit. Rex hæc omnia publico metitur bono.

Huiuſmodi plurimæ ſunt tyranni vel notæ, vel artes, quas Ariſtoteles in libris Politicis fuſius exequitur. Verum harum omnium ſummam in tria contrahit. Primum, ne velint, aut auſint cives adverſus tyrannidem inſurgere.

Proxi-

© Biblioteca Nacional de España

Proximum, ne ſibi inter ſe fidant. Tertium, nequid poſſint novarum rerum moliri. Primum efficit, dum modis omnibus agit ut civibus quam minimum ſit animi, minimumque ſapientiæ, dum eos ſerviliter habet, & aut ſordidis addictos officiis, aut delationibus obnoxios, aut voluptatibus effœminatos. Scit enim generoſos & erectos animos indigne ferre tyrannidem. Secundum efficit, cum agit ut cives inter ſe diſſideant mutuis odiis, & alius alium deferat, ipſe interim ſuorum malo potentior. Tertium aſſequitur, dum opes, & auctoritatem ſuorum, & maxime bonorum virorum modis omnibus attenuat, quod nemo ſanus aggredi velit, quod deſperet poſſe confici.

Ab his omnibus ſtudiis princeps quam longiſſime abſit oportet, immo prorſus ἐκ διαμέτρου, quod dici ſolet, diſſideat, præſertim princeps Chriſtianus. Etenim ſi talem pinxit Ariſtoteles

© Biblioteca Nacional de España

primum ethnicus, deinde philosophus, inter illos quoque non perinde sanctus ac doctus, quanto magis id prestare oportet eum, qui Christi fungatur vice?

Quin ex ipsis mutis animantibus regis ac tyranni simulachrum colligere licet. Apum regi amplissimum cubile est. sed id in medio, veluti tutissimo regi loco.

Atque ipse quidem onere vacat, verum exactor est alienorum operum. Hoc amisso totum examen dilabitur. Præterea insignis regi forma est, dissimilisque cæteris, tum magnitudine, tum nitore. Sed hac, ut inquit Seneca, nota potissimum à cæteris distinguitur, quod cum apibus plurimum sit iracundiæ, adeo ut aculeos in vulnere relinquant, solus ipse rex aculeo caret. Noluit illum natura nec fævum esse, nec ultionem magno constaturam petere, telumque detraxit, & iram eius inermem reliquit. Exemplar hoc magnis regibus ingens est. Iam si

tyranni

tyranni quæris imaginem, leonem, urſum, lupum, aut aquilam cogita, quæ laniatu vivunt, ac præda, ut quoniam intelligunt ſeſe omnium odiis obnoxia, omnium inſidiis peti, præruptis locis ſe continent, aut ſpecubus & ſolitudinibus abdunt ſeſe. Niſi quod horũ quoq; ſævitiam ſuperat tyrannus. Dracones, pardi, leones, cæteraque immanitatis damnata crimine animantia, à ſuo genere temperant, & tuta eſt inter feras ſimilitudo morum. At tyrannus homo in homines, civis in cives potiſſimum feritatem ſuam exercet. Tyranni feris immitiores.

Quinetiam in literis divinis Deus tyranni ſimulachrum depinxit his verbis. Hoc erit ius regis, qui imperaturus eſt vobis, filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum, ut conſtituat ſibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & Ex libro Regum primo.

© Biblioteca Nacional de España

fabros armorum & curuum ſuorum. Filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias, & panificas, Agros quoque veſtros & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis. Sed & ſegetes veſtras & vinearum reditus addecimabit, ut det Eunuchis & famulis ſuis. Servos etiam veſtros, & ancillas, & iuvenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo. Greges quoque veſtros addecimabit, voſque eritis ei ſervi. Et clamabitis in die illa à facie regis veſtri, quem elegiſtis vobis, & non exaudiet vos Dominus. Neque vero quenquam hoc moveat, quod hic regem vocat, non tyrannum. Siquidem olim regis nomen non minus inviſum fuit, quam tyranni. Et cum nihil ſit ſalutarius bono rege, cur Deus iratus hanc imaginem proponi iuſſiſſet populo, quo videlicet à petendo rege deterreret? Proinde ius regium, ius tyrannicum dixit. Alioqui Samuel ipſe vere regem geſſerat,

© Biblioteca Nacional de España

tot annis ſancte & incorrupte rem populi adminiſtrans. At illi non intelligentes felicitatem ſuam, more gentium regem flagitabant, qui faſtu, qui violentia regem ageret. Et tamen in hac imagine quota portio malorum eſt, quæ noſtra memoria in nonnullis etiam Chriſtianis Principibus magno totius orbis malo conſpeximus?

Deſcriptio boni Principis ex Deuteronomio.

Accipe nunc boni Principis imaginem, quam Deus ipſe in libro Deuteronomii deſcripſit ad hunc modum: Cumque fuerit rex conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Aegyptum, equitatus numero ſublevatus. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum eius, neque argenti & auri immenſa pondera. Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à ſacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit ſecum omnibus diebus

© Biblioteca Nacional de España

vitæ ſuæ, ut diſcat timere dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt. Nec elevetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neq; declinet in partem dextram, vel ſiniſtram, ut longo tempore regnet ipſe, & filii eius ſuper Iſrael. Si rex hebræus iubetur legem ediſcere, quæ figuras, & umbras modo iuſtitiæ tradebat, quanto magis convenit ut Princeps Chriſtianus Euangelii dogmata teneat, ac ſequatur? Si non vult regem iudæum efferri ſupra populum ſuum, fratres illos appellans, non ſervos, quanto minus idem facere oportebit Chriſtianum in Chriſtianos, quos ipſe quoque Chriſtus Principum omnium monarcha fratres appellat.

Principis deſcriptio ex Ezechiele.

Audi iam quomodo tyrannum deſcripſerit Ezechiel. Principes, inquit, in medio eius, quaſi lupi rapientes prædam ad effundendum ſanguinem. Plato Principes Reip. cuſto-

© Biblioteca Nacional de España

cuſtodes appellat, ut hoc ſint patriæ, quod canes gregi: quod ſi canes vertantur in lupos, quid prętera ſperandum eſt gregi?

Idem alio in loco crudelem ac rapacem Principem leonem appellat, & alibi minatur paſtoribus, qui paſcerent ſemetipſos, neque gregis ullam haberent curam, Principes ſentiens, qui ſibi gerunt imperium. Et Paulus de Nerone loquens, Liberatus ſum, inquit, de ore leonis. Et in eandem fermè ſententiam Solomon ille ſapiens vide quomodo tyrannum depinxerit, Leo, inquit, rugiens, & urſus eſuriens Princeps impius ſuper populum pauperem. Ac rurſus alibi: Cum impii ſumpſerint Principatum, gemet populus quaſi ſub ſervitute deductus. Et iterum alibi. Cum ſurrexerint impii, abſcondentur homines. Tyrannus Leo.

Quid, quod apud Eſaiam cum dominus offenſus populi ſceleribus comminatur dicens, Et dabo pueros Principes eorum, & effœminati Princeps puer.

© Biblioteca Nacional de España

minati dominabuntur eis. Nonne palam declarat nullam acerbiorem calamitatem obvenire posse regioni, quam stultum & impium Principem?

Princeps iuxta euangelium,

Sed quid nos ista persequimur, cum ipse Christus unicus Princeps ac dominus omnium clarissime discreverit Christianum Principem ab ethnico? Principes, inquit, gentium dominantur eis, & qui potestatem habent, exercent inter eos. Inter vos autem non erit sic. Si Principum ethnicorum est dominari, non est igitur Christianorum dominium. Quid est autem quod ait, non sic erit inter vos, nisi non eodem modo fieri convenit inter Christianos? inter quos Principatus administratio est, non imperium, & regnum beneficium est, non tyrannis.

Neque vero sic ipse sibi palpetur Princeps, Hæc ad episcopos pertinent, non ad me. Immo ad te pertinent, si modo Christianus es: si Christianus non es, nihil ad te per-

© Biblioteca Nacional de España

te pertinent. Neque vero te moveat, si forte conspexeris episcopos aliquot ab hac imagine procul abesse. Quid agant *illi*, viderint ipsi, tu quid te dignum sit, cogita.

Noli te ipsum Principem bonum existimare, si collatus cum aliis minus malus appareas. Neque statim licere putes quicquid principum vulgus factitat. Ad honesti regulam temetipsum exige, hinc te æstima. Etsi nemo fuerit, quem vincas, ipse certato tecum, quandoquidem istud est certamen omnium pulcherrimum, & vere invicto principe dignum, si quotidie nitatur sese melior evadere. Nemo bonus collatione peiorum.

Si fœdum est tyranni nomen, seu potius studium, nihilo fiet honestius, si cum multis fuerit commune. Siquidem in rebus ipsis vis honesti sita est, non in hominum numero.

Graviter à Seneca scriptum est, eodem loco, quo ponimus latrones Seneca.

© Biblioteca Nacional de España

nes ac pyratas, ponendos esse reges latronum ac pyratarum habentes animum. Hic enim solus regem à tyranno distinguit, non titulus.

Refert in libris Politicis Aristoteles, in nonnullis Oligarchiis hunc fuisse morem, ut inituri magistratum conceptis verbis iurarent in hunc modum. Plebem odio prosequar, & pro virili adnitar ut illi sit male. At Princeps inirurus magistratus longe diversa iurat suis. Et tamen audimus quosdam tales esse erga populum, quasi iuxta morem illum barbaricum iurassent se populi rebus modis omnibus hostes fore.

Barbaricus mos.

Plane tyrannidem sapit, quoties tum optime est principi, quoties populo est pessime, & alterius felicitas ex alterius crescit calamitate. Perinde quasi paterfamilias id agat, ut suorum malis ipse ditior reddatur ac potentior.

Qui sibi Principis titulum volet asserere, & invisum tyranni nomen

© Biblioteca Nacional de España

nomen cupiet effugere, non terroribus ac minis, sed benefactis id sibi vindicet oportet. Neque enim refert vel ab assentatoribus, vel ab oppressis appellari Principem, appellari patrem patriæ, si re ipsa fuerit tyrannus. Et si maxime illi aduletur sua ætas, at non assentabitur posteritas. Vides formidabilium olim regum, quos vivos nemo vel nutu audebat offendere, quanto odio posteri celebrent malefacta, quanta libertate detestentur ipsa etiam nomina.

Princeps magnæ familiæ pater.

Bonus Princeps non alio animo debet esse in suos cives, quam bonus paterfamilias in suos domesticos.

Quid enim aliud est regnum quam magna familia? Quid rex nisi plurimorum pater? Excellit enim, sed tamen eiusdem est generis homo hominibus, liber liberis imperans, non beluis, ut recte prodidit Aristoteles. Quod quidem intellexisse videntur & vetu-

© Biblioteca Nacional de España

vetuſtiſſimi Poetæ, qui Iovem, cui totius mundi & deorum (ut illi loquuntur) omnium tribuunt imperium, ſubinde notant his verbis, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, id eſt, pater hominumque deûmque. Et nos ſic à Chriſto præceptore docti Deum omnium haud dubie principem patris vocabulo compellamus.

Tyranni epitheta ex Homero.

Quid autem fœdius, aut execrabilius illa compellatione, quam apud Homerum Achilles opinor iacit in Principem ſibi gerentem imperium, non populo: δημοβόρε βασιλεῦ. Nihil enim reperit iratus ille, quid probroſius diceret in eum, quem imperio iudicabat indignum, niſi quod populum devoraret. At idem Homerus, ſi quem Regem honoris gratia nominat, ποιμένα λαῶν ſolet appellare, hoc eſt, populi paſtorem. Plurimum autem intereſt inter paſtorem, & prædonem. Quanam igitur fronte ſibi Principis titulum vindicant, qui paucos, & eos ſceleratiſſi-

tiſſimos è ſuorum numero deligunt, per quos arte repertis prætextibus, & ſubinde novatis titulis, populi vires ſimul & opes exhauriunt? & in ſuum convertunt fiſcum? ſive quod inclementer extorſerunt, aut prodigunt nequiter in voluptatibus, aut inſumunt crudeliter in bellis? & ut quiſque in his maxime veteratorem agere poteſt, ita plurimi faciunt? Periude quaſi Princeps hoſtis ſit populi, non pater, ut is præcipue videatur Principis rebus conſulere, qui populi commodis quam maxime officiat.

Ut paterfamilias ſuis bonis accreviſſe putat quicquid ulli ſuorum obtigerit emolumenti: ita qui vere Principis animo præditus eſt, in ſuo fiſco putat eſſe quicquid uſquam cives poſſident, quos ſic habet ſibi charitate devinctos ac deditos, ut nihil vereantur, vel vitam impendere Principi ſuo, non modo pecuniam. Principis divitiæ penes cives ſunt.

Operæ precium fuerit audire, quibus

© Biblioteca Nacional de España

Epitheta boni Principis ex Iulio Polluce.

quibus epithetis Iulius Poll
Commodo Cæsari, cuius pue
tiam instituerat, regem signar
ac tyrannum. Etenim cum rege
statim Diis subiecisset, veluti pr
ximum ac simillimum, περὶ βασιλέ
inquit, ἐπαίνων λέγε, πατὴρ, ἤπιος, πρᾶ
ἥμερος, προνοητικὸς, ἐπιεικὴς, φιλάνθρωπ
μεγαλόφρων, ἐλεύθερος, χρημάτων κρείτ
ἔξω παθῶν, ἑαυτοῦ κρατῶν, ἄρχων ἡ
νῶν, λογισμῷ χρώμενος, ὀξὺς, ἀγχίνους,
ριεσκεμμένος, εὔβουλος, δίκαιος, σώφ
θεῶν ἐπιμελητὴς, ἀνθρώπων κηδεμὼν,
σιμος, βέβαιος, ἀνεξαπάτητος, μεγαλογ
μων, ἰχρυρογνώμων, ἐνεργὸς, τελεσι
γὸς, φροντιστὴς τῶν ἀρχομένων, σωτὴρ, π
χειρος εἰς εὐεργεσίαν, βραδὺς εἰς τιμωρ
ἀσφαλὴς, ἀπλανὴς, ἀκριβέστερος πρὸς
δίκην ζυγοῦ, εὐπρόσοδος, εὐπροσήγορος,
ἐντευκτος, μειλίχιος, προσηνὴς, ἐπιμελι
τῶν ὑπηκόων, φιλοστρατιώτης, πολεμι
μὲν, οὐ φιλοπόλεμος δ', εἰρηνικὸς, εἰρηνοποι
εἰρηνοφύλαξ, παιδευτικὸς, ἀρχηγὸς, κ
χικὸς, νομοθετικὸς, εὐποιεῖν πεφυκὼς, θε
δής. πολλὰ δέ ἐστιν ἃ λόγῳ τίς ἂν εἰπεῖν ἔχ
καὶ ἐκ ὀνόματι.

Ea tametsi latinus sermo co
mode non possit reddere, ob gr
cæ linguæ proprietatem, tamen
hoc certe vertemus, quo quea
intelligi. Regem laudato his ti

© Biblioteca Nacional de España

lis. Parer, mitis, placidus, lenis, providus, æquus, humanus, magnanimus, liber, pecuniæ contemptor, haud obnoxius affectibus, sibiipsi imperans, dominans voluptatibus, ratione urens, acri iudicio, perspicax, circumspectus, valens consilio, iustus, sobrius, numinum curam agens, hominum negotia curans, stabilis, firmus, infallibilis, magna cogitans, auctoritate præditus, industrius, confector negotiorum, sollicitus pro his, quibus imperat, servator, promptus ad beneficentiam, lentus ad vindictam, certus, constans, inflexibilis, propensior ad iustitiam, facilis aditu, comis in congressu, commodus alloqui volentibus, blandus, expositus, curam agens suo parentium imperio, amans militum suorum, qui strennue quidem bellum gerat, sed qui bellum non affectet, pacis amans, pacis conciliator, pacis tenax, appositus ad emendandos populi mores, qui ducem agere norit

norit, ac Principem, qui leges ſalutares ſciat condere, natus ad benemerendum, divina ſpecie. Sunt autem multa, quæ oratione dici poſſint, ſingulis vocabulis non poſſint. Hactenus Pollucis ſententiam expreſſimus. Iam ſi ethnicus moderator eiuſmodi principem deformavit ethnico; quanto ſanctius ſimulacrũ proponi convenit principi Chriſtiano?

Nunc quibus coloribus tyrannum expreſſerit, attende. ψέγων ἂν ἐρεῖς, τυραννικὸς, ὠμὸς, θηριώδης, βίαιος, πλεονεκτικὸς, φιλοχρήματος, καὶ τὸ τοῦ πλάτωνος, ἐρασιχρήματος, ἅρπαξ, καὶ τὸ τοῦ ὁμήρου, δημοβόρος, ὑπερόπτης, ὑπερήφανος, δυσπρόσιτος, δυσπρόσοδος, δυσπροσήγορος, δυσέντευκτος, δυσόργητος, δύσθυμος, ἔμπληκτος, ταραχώδης, ἡδονῶν ἥττων, ἀκρατὴς, ἀκεράτωρ, ἀλόγιστος, μισάνθρωπος, ἄδικος, ἄβουλος, ἄνισος, ἀνόσιος, νοῦ κενὸς, εὔκολος, εὐμετάβολος, εὐεξαπάτητος, ῥάδιος, ἀνήμερος, ἐπιθυμίαις ἐνδιδοὺς, ἀκόλαστος, ὑβριστὴς, πολεμοποιὸς, βαρὺς, ἐπαχθὴς, ἀκάθεκτος, ἀφόρητος. Quorum verborum hæc ferme ſententia eſt. Malum principem vituperabis ad hunc modum: Tyrannicus, cru-

© Biblioteca Nacional de España

delis, efferus, violentus, occupator alieni, avidus pecuniarum, & (quod verbum est apud Platonem) pecuniarum cupiens, rapax, & (quod dixit Homerus) populi devorator, superbus, elatus, difficilis aditu, incommodus ad conveniendum, durus ad congressum, incomis ad colloquium, male iracundus, irritabilis, terribilis, turbulentus, voluptatum servus, intemperans, immoderatus, inconsideratus, inhumanus, iniustus, incõsultus, iniquus, impius, mente carens, levis, inconstans, & qui facile decipiatur, malefacilis, immitis, affectibus deditus, incorrigibilis, contumelioſus, bellorum auctor, gravis, molestus, incoercibilis, intolerabilis.

Nihil invisius Deo quam malus Princeps.

Cum Deus longissime absit à natura tyranni, verisimillimum est illi nihil invisius esse pestilente rege, & cum nulla belua nocentior sit tyranno, consentaneum est nihil invisius esse mortalibus omnibus, quam malum Principem.

Quis

Quis autem vel vivere cupiat superis & hominibus pariter exosus, & execratus? Proinde Octavius Augustus, ubi sensisset caput suum crebris cõiurationibus peti, & alia oppressa, protinus alia succedere, negavit tanti esse vivere, ut omnibus invisus, incolumitatem suam tot civium sanguine tueretur.

Tyrannis nulla fuit diuturna.

Proinde regnum, quod virtute administratur, ac benevolentia, non solum quietius est ac iucundius, verum etiam diuturnius, ac stabilius. Id, quod ex vetervm annalibus facile poteris cognoscere. Nulla tyrannis tam munita fuit, quæ diu constiterit. At quoties Reipubl. status in tyrannidem degeneravit, toties in exitium properasse compertum est.

Multos timeat oportet, qui timetur ab omnibus. Et tutus esse non potest, quem maxima pars hominum cupiat extinctum.

Divini honores

Olim qui bene gessissent imperium, iis divini decernebantur

tur honores : at in tyrannos ea lex erat, quæ nunc est in lupos aut ursos, ut præmium esset ex publico, qui publicum hostem è medio sustulisset. bonis regibus habiti.

Primitus reges non ob aliud constituti sunt populi consensu, quam ob eximiam virtutem, quam heroicam vocant, velut divinæ proximam, & humana maiorem. Originis igitur suæ principes meminerint oportet, illud intelligentes, se ne Principes quidem esse, si eo caruerint, quod primum Principes fecit. Virtus primum reges fecit.

Cum multæ sint formæ rerumpublicarum, philosophorum omnium ferme consensus est, saluberrimam esse monarchiam, nimirum ad exemplar Dei, ut rerum summa penes unum sit, verum ita, si is ad imaginem item Dei sapientia, bonitateque cæteris omnibus antecellat, & nullius indigens nihil aliud studeat, quam prodesse Reip. Quod si secus fuerit, pessimus Reipub. status sit oportet, ut qui Monarchia.

© Biblioteca Nacional de España

pugnet cum eo, qui est optimus.

Monarchia temperata.

Si Princeps contingat omnibus absolutus virtutibus, optanda sit pura ac simplex monarchia, verum quando id haud scio an unquam contingat, quin potius magnum, & exoptandum si detur mediocris, ut nunc sunt res hominum, præstiterit monarchiam, Aristocratiæ, & Democratiæ admixtam temperari, diluique, ne quando in tyrannidem erumpat, sed quemadmodum elementa vicissim sese librant, ita simili moderamine consistat Resp. Quod si Princeps bene velit Reip. sic interpretabitur suam potestatem hac ratione non coerceri, sed adiuvari, sin minus, tanto magis expedit, ut sit quod unius violentiam frangat, ac retundat

Cum multa sint dominandi genera, hominis in beluas, heri in servos, patris in liberos, mariti in uxorem, Regiam dominationem omnium excellentissimam iudicat Aristoteles, eamque maxime divinam

© Biblioteca Nacional de España

vinam appellat, quod ea res quiddam homine maius habere videatur. Quod si divinum est agere regem, profecto tyrannum agere nihil aliud sit oportet, quam eius vicem agere, qui Deo dissimillimus est.

Servus servo præstantior, ut habet proverbium, ut dominus domino potior, quod alia sit ars alia præclarior, alia functio alia melior. At Principem in optimo sapientiæ genere oportet præcellere. Ea est ratio recte administrandi Remp. Ex Aristotele.

Domini est iubere, servi parere. Tyrannus iubet quicquid lubuit, Princeps, quod Reip. iudicarit optimum. Quinam igitur iubebit is, qui quid sit optimum ignoret? immo qui pessima pro optimis habeat, vel insciția, vel affectibus excæcatus.

Ut oculi est videre, aurium audire, narium olfacere, ita Principis est populi rebus consulere. At non potest alia re consulere, quam

© Biblioteca Nacional de España

sapientia: ea si careat Princeps, non magis consulet Reip. quam oculus videbit excæcatus.

Xenophontis sententia. Xenophon in Oeconomico libello scribit divinum potius, quam humanum imperare liberis, ac volentibus: sordidum enim imperare mutis animantibus, aut coactis mancipiis. At homo divinum est animal, ac bis liberum, primum natura, deinde legibus. Ideoque summæ virtutis est, ac planè divinæ regere, & sic temperare imperium, ut beneficium sentiat populus, servitutem non sentiat.

Cave solum eos tuos esse putes, quorum opera in popinis, in venatu, in domesticis uteris ministeriis, cum sæpenumero nulli minus sint tui, sed universos cives exæquo tuos esse ducito. Quorum si quis omnino delectus sit, eum tibi proximum & coniunctissimum habeto, qui vir sit optimus, qui patriæ, qui Reipub. amantissimus. Cum vises urbes tuorum, nolito sic tecum cogitare: Tantarum re-

rum

rum dominus ſum, hæc omnia mei ſunt arbitrii, in hæc mihi licet quicquid libet. Si vero quod bono Principe dignum eſt, cogitare voles, ad hunc cogitato modum: hæc meæ credita ſunt fidei. Vigilandum igitur, quo meliora reddam, quam acceperim.

Cum innumeram tuorum multitudinem conſpexeris, cave ſic cogites: tam multos habeo ſervos, ſed, tot hominum millia de mea pendent ſollicitudine, uni mihi ſe ſuaque tuenda crediderunt, me veluti parentem ſpectant, tot millibus prodeſſe poſſum, ſi meipſum bonum præſtitero Principem, plurimum nocere; ſi malum. An non igitur magnopere curandum ne ſim improbus, ne tam multis noceam mortalibus?

Cogitato ſemper dominium, imperium, regnum, maieſtatem, potentiam, ethnicorum eſſe vocabula, non Chriſtianorum. Chriſtianum imperium nihil aliud eſſe, quam adminiſtrationem, quam

© Biblioteca Nacional de España

beneficentiam, quam cuſtodiam.

Animus in corpore.

Quod ſi hæc quoque vocabula te delectant, & illud memineris facito, quod ab ethnicis quoque philoſophis & perſpectum, & proditum eſt, non aliud eſſe imperium Principis in populum, quam quale eſt animi in corpus. Dominatur animus corpori, quod magis ſapiat quam corpus, ſed dominatur magno corporis commodo, potius quam ſuo, & animum regnare in corpore, felicitas eſt corporis.

Cor in membris.

Quod cor eſt in corpore animantis, id eſt Princeps in Repub. Si cor ſyncerum eſt, quoniam ſanguinis, ſpirituum fons eſt, vitam impartit univerſo corpori. ſin vitiatum fuerit, exitium affert membris omnibus. Verum ut ea pars in corpore animantis omnium poſtrema ſolet corrumpi, & in hac extremas vitæ reliquias ſupereſſe putant, ita decet Principem, ſiquis morbus corripuerit populum, ab omni ſtulti-

tia

tiæ lue quam integerrimum esse.

Ut in homine quod præstantius est imperat, nimirum animus. Rursum in animo quæ pars est optima, ea præsidet, nempe ratio. Et quod dominatur in universo, id omnium est optimum, nempe Deus. Ita quisquis in Rep. tanquam in magno corpore imperandi parteis occupavit, eum oportet bonitate, sapientia, vigilantiaque cæteros anteire. Et quanto magistratus antecellunt plebi, tanto Princeps antecedere debet magistratus. Similitudines Principis.

Siquid inest animo mali, id à corporis contagio proficiscitur, quod affectibus est obnoxium. Quicquid autem habet corpus boni, id ab animo scatet, velut à fonte. Ut autem præposterum sit, ac præter naturam, si mala ab animo manent in corpus, & corporis bona animi vitio corrumpantur, ita vehementer absurdum fuerit, si bella, seditiones, corrupti mores, pravæ leges, corrupti

© Biblioteca Nacional de España

magiſtratus, & id genus alię Reip. peſtes ab ipſis Principibus exoriantur, quorum ſapientia componi decebat motus ſtultitia plebis coortos. At ſæpenumero videmus civitates populi induſtria bene conſtitutas, ac florentes Principum everti culpa.

Princeps pater, non dominus.

Quam non Chriſtianum eſt domini titulo ſibi placere, quem non pauci à Chriſto alieni refugerunt, & quod eſſe cupiebant propter ambitionem, dici nolebant ob invidiam? At Chriſtianus Princeps idem eſſe ſibi fas putabit vocari magnificum?

Octavius Auguſtus quamvis ſcelere occuparat imperium, contumeliæ loco ducebat vocari dominum, & hanc appellationem à mimo delatam coram univerſo populo vultu ſimul, & voce renuit, velut eo vocabulo tyrannis exprobraretur. Et hanc hominis ethnici modeſtiam non imitabitur Princeps Chriſtianus?

Proverbium.

Si dominus es tuorum omnium, illi

© Biblioteca Nacional de España

illi tibi ſervi ſint neceſſe eſt. Proinde videndum eſt, ne iuxta vetus proverbium, quot habes ſervos, totidem habeas & hoſtes.

Princeps libere imperat.

Cum natura genuerit omneis homines liberos, & præter naturam inducta ſit ſervitus, quod ethnicorum etiam leges fatentur, cogita quam non conveniat Chriſtianum in Chriſtianos uſurpare dominium, quos nec leges ſervos eſſe voluerunt, & Chriſtus ab omni ſeruitute redemit. Siquidem Paulus Oneſimum ſervum natum à baptiſmo fratrem prioris heri Philemonis appellat.

Quam abſurdum eſt eos pro ſervis habere, quos Chriſtus eodem redemptos ſanguine in communem aſſeruit libertatem, quos iiſdem tecum alit ſacramentis, quos ad eandem immortalitatis vocavit hereditatem, & iis ſervitutis iugum inducere, qui communem tecum habent dominum, ac Principem Ieſum Chriſtum?

Cum Chriſtianorum unus ſit

© Biblioteca Nacional de España

Christus absolutum exemplar.

dominus, cur qui huius gerunt vices, abs quovis malunt administrandi formam petere, quam ab hoc, qui solus est totus imitandus. Ab aliis decerpere licet, si quid forte virtutis admistum habent. At in hoc absolutum est omnis virtutis ac sapientiæ exemplar. Ea quidem stultitia videtur, sed infidelibus. nobis, si vere fideles sumus, Dei virtus est, & Dei sapientia.

Iam nolim te sic tecum cogitare. At istud servire est, non regnare. Immo hoc est pulcherrimum regnandi genus, nisi forte Deum servire existimas, qui mundum hunc gratis administrat, cuius beneficium experiuntur omnia, cum ad illum nihil redeat præmii: nisi animus servire videtur, qui cum corpore non egeat, tanto studio consulit illius commodis. nisi oculus cæteris membris servire putandus est, quod omnibus prospiciat.

Rem ita tecum expendas licebit,

© Biblioteca Nacional de España

bit, ſiquis omneis homines, quos tuos vocas, Circes arte vertat in ſues, aut aſinos, nonne dices deterius factum tuum imperium? Dices opinor. Atqui plus iuris eſt in ſues, aut aſinos, quam in homines, licet quo lubet agere, licet diſtrahere, licet interimere. Proinde deterius fecerit imperium, qui liberos cives verterit in mancipia. Quo præſtantius eſt, in quod geris imperium, hoc magnificentius ac ſplendidius regnas. Conſulit igitur tuæ maieſtati, qui civium libertatem ac dignitatem tuetur. A fictione argumentum

Deus ipſe ne coactis imperaret, & angelis, & hominibus liberum dedit arbitrium, quo ſplendidius & auguſtius redderet imperium ſuum. Et quiſquam hoc nomine ſibi magnus videtur, quod metu adactis civibus, ceu pecudibus imperet? Deus liberis imperare voluit.

Ne te fugiat quicquid in euangelicis aut Apoſtolicis literis de olerand is dominis, de parendo

© Biblioteca Nacional de España

præfectis, de honorandis regibus, de pendendo tributo dictum est, id ad ethnicos Principes esse referendum, quod ea tempestate nondum essent Principes ulli Christiani. Tolerari iubet impios magistratus, nequid perturbetur ordo civitatis, modo suo fungantur officio, modo ne imperent impia.

Honorem exigit ethnicus Princeps: Paulus honorē iubet dependi. Vectigal exigit, vult solvi vectigal. Tributum exigit, iubet dari tributum. Nihilo enim deterior fit his rebus homo Christianus, & illi suum quoddam habent ius, neque sunt per occasionem irritandi. At quid de Christianis addit? Vos, inquit, inter vos nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Alioqui num ideo Christus debebat Cæsari tributum, quia legitur solvisse didrachmum? Idem in euangelio cum insidiose rogaretur, num gens ut tum putabatur Deo dicata, censum

Ius Cæsaris ex euangelio.

© Biblioteca Nacional de España

ſum deberet Cæſari? numiſma iubet exhiberi, exhibitum non agnoſcit, & velut ignarus, cuius ſit imago, & inſcriptio ſciſcitatur. Cum reſponſum eſſet Cęſaris eſſe, malitioſe tentantibus ambigue reſpondit: Date Cæſari quæ ſunt Cæſaris, quæ Dei ſunt, Deo, ſimul eludens inſidioſam quæſtionem, & per occaſionem ad Dei pietatem invitans, cui debemus omnia. Perinde quaſi dixiſſet, Cæſari, quem ignoro, quid debeatis, vos videritis. Illud potius ſpectate; quid debeatis Deo, cuius negotium ago, non Cæſaris.

Verum ius Principis.

Ne vero inter hæc cuiquam obrepat huiuſmodi cogitatio: Quid igitur Principi ſuum ius adimis, & plus tribuis ethnico quam Chriſtiano? Immo Principi Chriſtiano ſuum ius vindico. Ius eſt ethnico Principi ſuos metu premere, ad ſerviles operas adigere, exigere poſſeſſionibus, expilare bonis, denique martyres facere, ius eſt ethnici Principis, num idem

vis

© Biblioteca Nacional de España

vis esse Christiano? Aut ius illius imminutum videbitur, si minus hæc illi liceant?

Non perit suum ius ei, qui Christiane gerit imperium, sed aliter possidet, & quidem multo tum præclarius, tum tutius. Id ita esse, his argumentis colligas licebit. Primum tui non sunt, quos servitio premis, consensus enim Principem facit. Verum ii demum vere tui sunt, qui sponte ac volentes tibi parent. Deinde cum metu adactos possides, ne dimidiatos quidem possides, corporum potiris, animi absunt alieni. Cæterum cum Christiana charitas conciliat populum ac Principem, ibi tua sunt omnia, quoties res postulat. Non enim postulat bonus Princeps, nisi cum utilitas patriæ flagitat. Rursus ubi dominium est, non benevolentia, quantumvis multum exigatur, certe minus habet Princeps, quam cum nihil non habet. Nemo plus impetrat, quam qui nihil imperat, sed promeretur.

Ad hæc

Ad hæc honos, qui tyranno exhibetur, ne honos quidem eſt, ſed aut adulatio, aut ſimulatio, nec obſequium, ſed ſervitus, nec ſplendor eſt verus, quem oſtentat, ſed faſtus, nec potentia, ſed vis. quæ cuncta veris nominibus poſſidet, qui Chriſtianum agit Principem. Veri honos.

Nemini plus defertur honoris, quam qui non exigit honorem, nulli libentius obſequuntur homines, quam qui non requirit obſequium, in neminem libentius effundunt ſuas opes, quam in eum, cui commiſſas ſciunt ad publicam utilitatem cum fœnore redituras.

Eſt mutuum inter Principem ac populum commercium, tibi populus cenſum debet, debet obſequium, debet honorem, ſed tu viciſſim populo debes bonum ac vigilantem Principem: cum exigis vectigal à tuis veluti debitum, fac prius excutias temetipſum, num illis officii tui vectigal perſolveris. Mutuum ius populi ac Principis.

Ariſto-

© Biblioteca Nacional de España

Ex Aristotelis Politicis.

Aristoteles negat dominii rationem esse sitam in possidendo, sed magis in hoc ut utare servis. Atqui multo minus Principatus positus est in titulis, & imaginibus, in exigendo censu, sed in consulendo.

Cum Resp. corpus quoddam sit ex variis membris compactum, in quorum numero sit & Princeps ipse, licet eximium, ea moderatione convenict uti, ut omnibus bene sit, non ut attenuatis cæteris unum, aut alterum vegetum ac saginatum evadat. Quod si Princeps Reip. malis gaudet, & alitur, neque pars est Reip. neque Princeps, sed prædo.

Prodidit Aristoteles servum vivam esse domini portionem, si modo is verus sit dominus. Est autem & amicitia parti cum toto, & utilitas utrique ex altero. Id si verum est inter herum, & mancipium de lapide (ut aiunt) emptum, quanto magis inter plebem Christianam, & Principem Christianũ?

Prin-

© Biblioteca Nacional de España

Princeps, qui nihil aliud cogitat, nihil aliud agit, nisi ut quam plurimum pecuniarum à civibus extorqueat, ut nummorum vim quantam potest maximam irretiat legibus, ut quamplurimo vendat magistratus, & officia, quæso utrum is Princeps dicendus est, an negociator, an (ut verius dicam) prædo?

Crœsus cum videret urbe capta Cyti milites magno tumultu discurrantes, rogabat quidnam facerent? Cui respondenti facere eos, quod victor exercitus solet, diripere bona civium, quid inquit audio? An non hæc iam tua sunt, qui me vicisti? Cur igitur isti tua populantur? Hac voce monitus Cyrus, militem à direptione coercuit. Eandem oportebit semper obversari Principis animo. Hæc, quæ extorquentur, mea sunt. Hi, qui spoliantur, & atteruntur, mei sunt. Quicquid in hoc pecco, in meipsum pecco.

Se lædit Princeps, cum populi res lædit.

Fac ita geras imperium, ut facile

© Biblioteca Nacional de España

cile gesti queas reddere rationem, quam si nemo exacturus est, hoc magis etiam à teipso debes exigere. Futurum est enim, idque brevi, ut is abs te rationem exigat, apud quem nihil tibi profuerit Principem fuisse, nisi quod tanto rigidiorem habiturus es iudicem, quanto grandior potestas tibi fuerit commissa. Ut unus sis totius orbis monarcha, hunc exactorem nec fallere poteris, nec effugere, nec terrere, nec corrumpere.

Posteaquam te semel Reip. dedicasti, iam non est tibi liberum tuo more vivere, personam, quam suscepisti, sustineas ac tuearis oportet.

Nullus ad Olympicum certamen accedit, nisi prius secum expenderit quid eius certaminis lex postulet. Neque queritur sibi molestum esse solem, aut pulverem, aut sudorem, aut siquid est aliud huius generis, quandoquidem hæc omnia

cum

© Biblioteca Nacional de España

cum ipſa ludi ratione coniuncta ſunt. Ita qui ſuſcipit imperium, prius cum animo debet expendere quas res Principis officium exigat. Conſulendum alienis commodis, propria negligenda. Vigilandum, ut aliis dormire liceat. Laborandum, ut aliis liceat otiari. Summa præſtanda morum integritas, cum in aliis mediocris innocentia ſatisfaciat. Privatis affectibus omnibus exuendus eſt animus, & publicum gerenti negotium nihil, niſi de publico cogitandum. Benefaciendum etiam ingratis, etiam non intelligentibus, etiam invitis. Hæc ſi non placent, cur ad imperii manus accedis? aut cur forte traditum non cedis alteri? Quod ſi non licet, certe in huiuſmodi quempiam reiice functionem, cuiuſmodi teipſum præſtare oportebat.

Officium Principis.

Apud græcos ſapientiſſime dixit ſapiens quidam, quæ præclara ſunt, eadem eſſe difficilia. Proinde meminiſſe oportet, præſtare bonum

Difficillimum ſed pulcherrimum bene imperare.

bonum Principem, rem quidem esse omnium multo pulcherrimam, sed eandem omnium longe difficillimam. Neque quicquam te moveat, si temporibus his quosdam videris Principes ita viventes, ut difficilius sit agere patremfamilias, quam eiusmodi Principem, nec omnino temere dictum videatur veteri proverbio, aut regem, aut fatuum nasci oportuit.

Prius discendum imperare quam imperes.

Cum igitur cæteri mortales artem, quam profiteri parent, prius adhibito studio discant, quanto maiori cura Principem oportet administrandi rationem prædiscere? Ac cæteræ quidem artes quatuor rebus potissimum constant, natura, præceptis, exemplis, & usu.

In Principe lene, ac mansuetum ingenium requirit Plato: nam acres, & concitatos ut ad disciplinas quidem idoneos fatetur, ita ad Remp. administrandam accommodos negat. Sunt naturæ vitia,

© Biblioteca Nacional de España

vitia, quæ inſtitutione, curaque corrigi queant. At poſſit obtingere ingenium vel adeo ſtupidum, vel ita ferox, ac violentum, ut in hoc formando fruſtra quis ſumpſerit operam. Neronis natura corruptior erat, quam ut ſanctiſſimus ille præceptor Seneca potuerit efficere quo minus peſtilentiſſimus evaderet Ptinceps.

Præcepta ſtatim (ut diximus) inſtillanda ſunt, eaque digna vero Principe, & certa: & ob hanc cauſam Plato voluit ſero dialecticem attingi à cuſtodibus, quod hæc in utramque partem diſſerat, & minus firmas reddat de honeſto, aut inhoneſto opiniones. Exemplum adminiſtrandi potiſſimum ab ipſo Deo petendum, & ab homine, Deoque Chriſto, è cuius dogmatis præcepta quoque ſumenda erunt potiſſimum. Exercitatio, quæ poſtrema pars eſt, non perinde tuta eſt in Principe: nihil enim magni, ſi citharas aliquot obterat, qui ſtudet bonus eſſe citharœdus. At

grave

© Biblioteca Nacional de España

grave fuerit affligi Rempub. dum Princeps discit administrare Rēp. Assuescat quidem igitur iam inde à puero, sed quo melius iudicet, instructus decretis, assidere consultationibus, interesse iudiciis, adesse creandis magistratibus, audire regum postulationes. verum nequid statuat, nisi multorum iudicio comprobatum, donec ætas, & usus rerum certius iudicium parit.

Vigilantia Principis.

Si vere dixit Homerus non esse Principis solidam dormire noctem, cui tot hominum millia, cui tantæ negotiorum moles commissæ sunt, si non sine iudicio talem Aeneam suum fingit Virgilius, unde quæso Principi sit otium totos fallendi dies? immo perdendi maximam vitæ partem alea, choreis, venatibus, morionibus, & his etiam nugacioribus nugis?

Subvertitur Resp. factionibus, bellis affligitur, latrociniorum plena sunt omnia, expilationibus immo-

© Biblioteca Nacional de España

immodicis plebes ad famem, & laqueum adigitur. Opprimuntur ab iniquis proceribus tenues, corrupti magiſtratus, non quod ius eſt, ſed quod libet faciunt, & inter hæc velut otioſus, tum alea ludit Princeps.

Non licet dormitabundum eſſe, qui clavo aſſidet, & in tantis rerum periculis ſtertit Princeps? Nullum mare tam graves habet tempeſtates unquam, quam omne regnum aſſidue. Semper itaque Principi vigilandum eſt nequid erret, qui non niſi plurimorum pernicie delinquit.

Magnitudo navis, aut mercium precia, aut vectorum numerus haud facit elatiorem bonum nauclerum, ſed attentiorem. Ita bonus rex, quo pluribus imperat, hoc vigilantior eſſe debet, non inſolentior.

Si cogitaris quantam ſuſtineas provinciam, nunquam deerit quod agas. Si conſueveris publicis delectari commodis, nunquam deerit

deerit quo oblectes animum, ut iam bono Principi non vacet inepris voluptatibus otii tædium fallere.

Quod à ſapiẽtiſſimis viris præceptum eſt, optimam vitæ rationem eſſe deligendam, non iucundiſſimam, quod ea, quæ ſunt optima, conſuetudo denique ſoleat iucunda reddere, id Principi cum primis eſt faciendum. Si pictor ex tabula belle confecta voluptatem capit, ſi agricola, ſi olitor, ſi faber ſuis fruitur laboribus, quid Principi deber eſſe iucundius, quam ſi contempletur Remp. ſua opera redditam meliorem, ac florentiorem?

Ut negari non poteſt operoſam eſſe rem bonum agere Principem, ita multo eſt operoſius malum agere Principem. Longe minus habent negotii, quæ naturam & honeſti rationem ſequuntur quam quæ fucis, & arte conſtant.

Cum apud te recoles, hoc bellum prudenter effugi, bene ſedi

© Biblioteca Nacional de España

tionem illam quam minimo sanguine compescui, illo viro ad magistratum ascito probe consului Reip. meoque nomini, si vere princeps es, mirum ni ingentem animo sentis voluptatem. Atque ea demum voluptas Christiano digna est Principe. Huius materiam ipse tibi quotidie benefactis suppedita, plebeias illas oblectatiunculas vili popello relinque. Voluptates Principis quæ.

Laudatur ab omnibus Solomon, qui cum integrum esset optare quicquid vellet, protinus accepturus, quicquid petisset, non optarit opum vim, non totius orbis imperium, non exitium inimicorum, non insignem famæ gloriam, non voluptates, sed sapientiam, neque quamvis sapientiam, sed eam, qua posset genus sibi creditum cum laude administrare. E diverso damnatur ab omnibus Midas, cui nihil auro fuerit antiquius. At cur aliud in historiis, aliud in vita iudicium? Optamus Principi felicitatem, optamus victoriam, opta- Diversum Midæ ac Solomonis votum.

© Biblioteca Nacional de España

mus laudem, optamus longævitatem, optamus opulentiam. Si vere diligimus Principem, quin illud potius optamus, quod unum ſibi optavit Solomon? Et ne ſtulte videatur optaſſe, hoc nomine laudatus eſt à Deo. Cur nihil minus ad rem pertinere iudicamus, quam id, quod ſolum ad rem pertinet? Immo non deſunt qui credant hoc ipſum ad imperii functionem officere, ſi ſapiat Princeps. Langueſcit inquiunt animi vis, & redditur timidior. At iſta temeritas eſt, non audacia, ſtupor, non animi vigor, ob hoc nihil timere, quod nihil iudices. Ex aliis fontibus petenda eſt Principis fortitudo. Ad iſtum modum plurimum audent iuvenes, ſed plus etiam furioſi. Salutaris eſt timiditas, quæ dum periculum indicat, docet vitare quæ à turpibus, ac perniciosis inſtitutis cohiber.

Plurimum perſpiciat oportet, qui unus proſpicit omnibus, plurimum ſapiat neceſſe eſt, qui ſolus conſu-

© Biblioteca Nacional de España

consulit universis. Quod Deus in universo, quod sol in mundo, quod oculus in corpore, hoc oportet esse Principem in Repub.

Aenigma regis.

Prisci sapientes, quibus mos erat hieroglyphis uti, rerum ænigmatis vivendi rationem adumbrantes, regis imaginem ad hunc representabant modum, ut oculum pingerent addito sceptro, vitæ rectitudinem, & animum nullis rationibus ab honesto deflectendum, cum prudentia, vigilantiaque summa coniunctum significantes.

Sceptrum regium.

Alii regium sceptrum ad hunc modum effingebant. In summo erat ciconia pietatis symbolum, in imo hippopotamus, animal efferum, & noxium, illud videlicet innuentes, siquid in Principe seviant affectus efferi, quod genus ira, vindictæ cupiditas, rapacitas, violentia, ut eos motus pietas in patriam vincat, prematque. Ad insolentiam fortunæ licentia, rerumque successus invitat, sed

© Biblioteca Nacional de España

plus valeat amor patriæ.

Apud Thebanos inter ſacras imagines viſebantur olim auctore Plutarcho quæ ſederent ſine manibus, harum prima oculis etiam carente. Quod ſedent, admonet magiſtratus ac iudices animo ſedato eſſe oportere, nec ullis affectibus perturbato. Quod manibus carent, innuit eos ab omni munerum corruptela puros, & integros eſſe debere. Porro quod Princeps manibus quoque caret, ſignificat regem adeo non abduci muneribus ab honeſto, ut nec cullius perſonæ tangatur reſpectu, quo tantum auribus rem accipiat.

Imago Principis.

Quin & in ipſis, quibus ornatur, inſignibus philoſophari diſcat. Quid indicat unctio regia, niſi ſummam animi clemẽtiam? Quid capitis diadema, niſi numeris omnibus abſolutam ſapientiam? Quid collo addita torques, niſi virtutum omnium concentum, & harmoniam? Quid gemmarum multiplici colorum gratia nitentium

Culeus & inſignia Principis.

© Biblioteca Nacional de España

tentium lumina, nisi virtutum excellentiam, & quod quicquid honestum, id in Principe eximium esse oporteat? Quid ardens purpura, nisi vehementem erga cives charitatem? Quid insignia, nisi ut maiorum suorum decora vel æquet, vel superet? Quid gladius prælatus, nisi huius præsidio patriam oportere tutam esse tum ab hostibus, tum à sceleroſis?

Bona mens coniuncta cum prudentia.

Primum munus boni Principis est quam optima velle, proximum, quibus rationibus evitari aut tolli mala, contra, bona parari, augeri, confirmarique possint, perspicere. In homine privato fortasse satis est bona mens, cum & legibus admoneatur, & magistratus præscribant quid sit agendum. At in Principe parum est, bona mente præditum esse, ut velit optima, nisi accesserit sapientia, quæ commonstret, quibus viis id, quod cupit, assequi queat.

Quantulum interest inter statuam marmoream Crœsi, aut

© Biblioteca Nacional de España

Cyri inſcriptam titulo, diademate ſceptroque magnifice inſignitam, & Principem ſine pectore: niſi quod illa nullius incommodo ſtupet, hic magno Reip. malo ſtultus eſt.

Ne corporis aut fortunæ bonis temetipſum æſtimes, ſed animi. Nec aliorum laudibus teipſum metiaris, ſed tuis ipſius factis.

Laudes dignæ Principe.

Cum ſis Princeps, videto ne quam admittas laudem, niſi dignam Principe. Effert aliquis formam tuam, cogita ad iſtum modum laudari fœminas. Si quis admiratur facundiam, memineris iſtam ſophiſtarum, ac rhetorum eſſe laudem. Si robur & corporis vires prædicat aliquis, ſcias ita laudandos athletas, non Principes. Proceritatem extollit aliquis, ſic tecum cogita: hic me recte laudarit, ſiquid ex alto foret detrahendum. Eſt qui divitias tuas laudibus vehat, fac cogites ita laudari negotiatores. Puta te nihi adhuc audiſſe dignum Principe,

dum

© Biblioteca Nacional de España

dum audis iſtiuſmodi præconia. Quænam igitur propria Principum laus eſt? Nempe ſi à tergo pariter, & à fronte ſit oculatus, ὀπίσω, ut inquit Homerus, ὀπίσω καὶ πρόσω, hoc eſt, ſi quam plurimum ſapiat, præterita reſpiciens, futura proſpiciens, deinde quicquid ſapiat, patriæ ſapiat, non ſibi, quanquam non alia ratione ſibi magis poteſt ſapere, quam ſi patriæ ſapiat.

Si quis hoc pacto laudet medicum: formoſus eſt, robuſtus eſt, ac bonis lateribus, bene nummatus eſt, bellus eſt aleator, ſcite ſaltat, belle canit, docte ludit pila, nonne protinus tecum cogitabis. quid hæc ad medicum? At cum audieris eadem à ſtultis laudatoribus, multo magis cogita, quid hæc ad Principem?

Vt in medico, ſic & in Principe tria requiruntur.

In medico tria potiſſimum requiruntur. Primum, ut calleat artem medendi, noritque corporum & morborum vim, & quid cui malo debeat adhiberi. Proxi-

© Biblioteca Nacional de España

mum, ut ſit bonæ fidei, neque quicquam ſpectet præter ægrotantis ſalutem. nam multos ambitio, aut lucrum huc adducit, ut venenum miniſtrent pro remedio. Tertium, ut iuſtam curam, ac diligentiam adhibeat.

Ariſtoteles in Politicis ſuis quid tandem exigit à Principe vir ethnicus? num Nerei formam? aut Milonis vires? num Maximini proceritatem? num Tantali talenta? Nihil horum. Quid igitur? Summam & abſolutam virtutem, in privatis contentus mediocritate.

Nemo Princeps bonus niſi vir bonus.

Si potes ſimul eſſe Princeps & vir bonus, fungere pulcherrimo munere, ſin minus, abiice Principem potius, quam ut ea gratia vir malus ſias. Virum bonum invenire licet, qui bonum Principem non poſſit agere: At bonus Princeps eſſe non poteſt, qui non idem ſit vir bonus. Quanquam nunc coredierunt quorundam Principum mores, ut hæc duo multum inter ſe pu-

© Biblioteca Nacional de España

se pugnare videantur, vir bonus, & Princeps: Planeque stultum, & ridendum habeatur in Principe, boni viri facere mentionem.

Regem agere non potes, nisi te ratio rexerit, hoc est nisi in omnibus consilium ac iudicium sequaris, non animi cupiditatem. Nec aliis potes imperare, nisi prius ipse parueris honesto.

Voces indignæ Principe.

Absit procul ab animo Principis vox illa plusquam tyrannica: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Ac multo magis illa, quæ iam in publicam hominum execrationem abiit: Oderint, dum metuant. Tyrannicum, immo fœmineum est animi libidinem sequi, & pessimus diuturnitatis custos est metus.

Sit hoc perpetuum Principis decretum, lædere neminem, prodesse omnibus, præsertim suis, mala vel tolerare, vel mederi, prout iudicabit in rem communem expedire. Qui hunc animum non affert ad Remp. tyrannus est, non Princeps.

© Biblioteca Nacional de España

Siquis te pro Principe tyrannum, aut prædonem appellet, nonne vehementer commoveberis, & atrocia parabis supplicia? Et merito. Est enim atrox, nec ullo pacto ferenda contumelia. At illud mihi iã cogites velim, quanto contumeliosior est in seipsum, qui volens talis est, quam ille prædicat? Nam gravius est esse furem, quam dici, & atrocius est vitiare virginem, quam vitium exprobrare.

Beneficiis paratur bona fama.

Ut bene audias, id certissima consequeris via, si qualem te cupis prædicari, talem temetipsum exhibeas. Non est vera laus, quæ extorquetur metu, aut tribuitur ab adulatoribus. Et male agitur cum fama Principis, si huius præsidium in silentio minis indicto situm est. Iam ut maxime tua sileat ætas, certe loquitur posteritas. Quanquam quis unquam tam formidabilis fuit tyrannus, ut omnium linguas cohibere potuerit?

In primis cavendum Christiano Prin-

© Biblioteca Nacional de España

Principi, quod graviter à Seneca ſcriptum eſt: Inter eos, qui reges appellantur, inveniri nonnullos, cum quibus ſi conferas Phalaridem, Dionyſium, Polycratem, quorum & ipſa vocabula in omnium ſæculorum abominationem abierunt, indigni ſint, qui tyranni vocentur. Neque enim refert qua via, ſed quo tendas. Qui ad commodum publicum ſpectat, rex eſt, qui ad ſuum, tyrannus. At quo tandem nomine cenſebimus iſtos, qui ſuam felicitatem patriæ malis alunt, & re prædones agunt, nomine Principes, ſed falſiſſimo?

Nec Deus nec Princeps ullius mali cauſa.

Plato vetuit legibus ſuis nequis Deum ullius mali cauſam diceret, propterea quod natura bonus ſit ac beneficus. At Princeps Dei ſimulachrum quoddam eſt, ſi vere Princeps ſit. Quantum igitur abhorrent ab hoc exemplari, qui ſic rem gerunt, ut quicquid malorum in Rep. cooritur, id ipſorum vicio cooritur?

© Biblioteca Nacional de España

Nec audiendus est, siquis hic forte clamiter adulator: At istud est Principem in ordinem cogere. Immo qui Principi licere vult, quod honestum non sit, is eum in ordinem cogit. Quid enim est aliud Principem in ordinem cogere, quam talem reddere, quale est hominum vulgus? ut iræ, ut libidini, ut ambitioni, ut avaritiæ serviat? Indignum vero facinus, & non ferendum, si hoc non licet Principi, quod non licet Deo. Non postulat sibi licere Deus, ut secus agat, quam honesti dictat ratio, quod si faceret, iam nec Deus esset. Proinde qui principi licere vult, quod pugnet cum natura ac ratione principis, is demum illum principis honore spoliatum unumquempiam è media plebe facit. Non pudeat Principem honesto parere, cui paret ipse Deus. Neque se putet minus esse Principem, si ad summi principis imaginem pro virili accesserit.

Mire retortum argumentum.

Hæc, atque huiusmodi boni prin-

© Biblioteca Nacional de España

Principis semina statim inserant in rude pueri pectus hinc parentes, hinc nutrices, hinc præceptor, hęc volens discat, non coactus. Sic enim convenit institui Principem, qui liberis, ac volentibus sit imperaturus. Discat amare virtutem, horrere turpitudinem, & ab inhonestis pudore, non metu coërceatur. Et quanquam nonnulla boni Principis spes in emendatis moribus, ac moderatis affectibus est sita, præcipua tamen est in rectis opinionibus. Nam mores malos aliquoties & pudor corrigit, depravatos affectus vel ætas emendat, vel admonitio. Cæterum ubi persuasum est id cum virtute coniunctum esse, quod procul abest ab honesto, & id egregium esse Principis munus, quod plusquam tyrannicum est, hoc est ubi fontes sunt infecti, à quibus omnes vitæ proficiscuntur actiones, tum difficillimum fuerit mederi. Proinde in hoc primam ac præcipuam esse curam oportet instituen-

ſtituentis (ſicuti dictum eſt) ut pravas vulgi opiniones penitus ex animo revellat, ſi quæ forte inſederint, & ſalutares, chriſtianoque Principe dignas inſerat.

De adulatione vitanda Principi.

ATque id fieri non poteſt, niſi modis omnibus arceantur aſſentatores, cui peſti maxime obnoxia eſt magnorum Principum felicitas. Iam ipſa ætatis ſimplicitas huic malo præcipue patet, partim quod naturæ propenſione blandis magis gaudeat, quam veris, partim quod ob rerum imperitiam quo minus ſuſpicatur inſidias, hoc minus cavere novit.

Et nequis hoc ceu leve malum exiſtimet negligendum, ſciat florentiſſima ſummorum regum imperia linguis adulatorum fuiſſe ſubverſa. Nec uſquam gravi tyrannide legimus oppreſſam Rempub. ubi non præcipue partes tragœ-

© Biblioteca Nacional de España

tragœdiæ fuerint assentatorum.

Perspectum habebat hoc Diogenes (ni fallor,) qui rogatus, quod esset animal omnium maxime noxium, si de feris inquit sentis, tyrannus, si de cicuribus, adulator.

Habet hæc pestis blandum quoddam venenum, sed adeo præsentaneum, ut olim hoc dementati Principes orbis domitores, nequissimis palponibus sese ludendos, & equitandos permiserint, & in omnium rerum dominos hi teterrimi homunculi libertini, nonnunquam & servi dominabantur.

Primum igitur providendum erit ut nutrices adhibeantur, aut prorsus immunes ab hoc morbo, aut certe quam leviſſime obnoxię. Nam ipse sexus solet huic malo peculiariter obnoxius esse, deinde plærumque nutrices in matrum abeunt affectus, quarum vulgus liberorum ingenia sæpenumero corrumpit indulgentia, immo totum Nutrices Principis.

© Biblioteca Nacional de España

tum hoc genus quoad fieri poteſt arcendum à futuro Principe, natura pene ipſa duobus maximis affine malis, ſtultitiæ, & adulationi.

Sodales Principis. Proxima cura erit ut ſodales adiungantur ingenio liberali, & alioqui in hoc formandi ab eo, qui inſtituit, ut comes ſint citra adulationem, ut ita conſueſcant urbane loqui, nequid tamen in gratiam fingant, aut mentiantur. Nam de præceptore deligendo dictum eſt.

Miniſtri Principis. Neque mediocre momentum eſt in miniſtris, qui frequenter obſecundant cupiditatibus puerorum, vel ob ſtultitiam, vel quod hinc emolumenti nonnihil ad ſe rediturum ſperent. Oportebit igitur hoc quoad fieri poteſt cordatos, & integros ad id muneris delegare, & inſuper monitis ac minis ab aſſentando deterrere, ac rurſum præmiis invitare, ut ſancte ſuo fungantur officio. Qua quidem in re magnopere conducet, ſi qui

© Biblioteca Nacional de España

qui deprehensus fuerit hoc agere, ut alloquiis & obsequiis illiberalibus, Principis animum ad ea sollicitet, quæ parum digna sunt Principe, is in aliorum exemplum, publice det pœnas, etiam capitis, si delicti modus hoc postularit. Neque hoc cuiquam crudele videri debet, si cum furem, qui pauculos nummos forte nactus sustulit, capite puniamus, idque præter omnium legum veterum exemplum, de eo extremum sumatur supplicium, qui id inficere voluerit, quo nihil habet patria melius, aut precioſius. Quod si rei novitas obstat, quo minus persuaderi queat, (tametsi Alexander Romanus imperator Thurinum fumi venditorem palo alligatum, subiectis viridibus lignis fumo necari iussit) arte fieri potest, ut alia via paretur exemplum, siquis forte de alio quopiam capitali facinore convictus erit, tamen hoc titulo puniatur, quod Principis futuri mentem pesti-

lenti

lenti adulatione corruperit. Si in pœnis mali dati rationem cõvenit expendere, plus lædit Remp. pestilens adulator, qui primam illam Principis ætatem tyrannicis opinionibus corrumpit & inficit, quam qui publicum ærarium expilarit.

Omnes adulantur Principi.

Atque utinam saltem apud Christianos minus verum esset illud Carneadis apophthegma, qui negavit quicquam recte disci à regum filiis, præter autem equitandi, quod cæteris in rebus omnibus omnes obsecundent, & assententur. At unus equus quoniam haud intelligit patricius insideat an plebeius, dives an pauper, Princeps an privatus, tergo excutit, quicunque parum scite insederit. At nunc sæpenumero videmus fieri ut non nutrices solum, ac sodales, ministrique Principum liberis adulentur, verum & ipse præceptor, moderatorque pueritiæ suum agat negotium, non huc spectans ut Principem dimittat melio-

© Biblioteca Nacional de España

meliorem, ſed ut ipſe diſcedat locupletior. Ad gratiam non raro loquuntur & ii, qui de rebus ſacris concionantur, aucupantes Principis, & aulicorum favorem, aut ſiquid reprehendunt, ita mordent, ut tum maxime adulentur. Non hæc loquor, quod iſtos probandos exiſtimem, qui ſeditioſis clamoribus debacchantur in vitam Principum, ſed quod ab his citra contumeliam boni Principis exemplar proponi cupiam, nec probari per aſſentationem in Chriſtiano Principe, quæ in ethnicis damnarunt ethnici. Neque libere monent magiſtratus, neque ſatis amice conſulunt conſiliarii. Nam proceres, quoniam fere ſtudiis inter ſe diſſentiunt, certatim omnes Principis favorem ambiunt, vel quo premant adverſarium, vel ne quam anſam nocendi miniſtrent inimico. Adulantur ſacrifici, aſſentantur medici. Nam ab oratoribus aliunde miſſis meras audire laudes iam ubique ſolenne eſt.

Super-

© Biblioteca Nacional de España

Supererat una ſacra anchora, quæ & ipſa ſæpenumero fallit, nimirum ii, quos vulgus confeſſores regios vocat. Ii certe ſi integri forent, ac prudentes, certe in illo altiſſimo ſecreto poſſent amanter ac libere monere Principem. Verum plærumque fit ut dum ſuis quiſque commodis ſtudet, publicæ utilitatis rationem negligat. Ac minus quidem lędunt poëtæ, rhetoreſque, quorum nemini iam ignotum eſt inſtiturum, Principum laudes non ex ipſorum meritis, ſed ex ſuo metiri ingenio. Longe peſtilentius eſt Magorum, ac divinorum genus, qui regibus longævitatem, victorias, triumphos, voluptates, & imperia pollicentur. Rurſum aliis ſubitam mortem, cladem, moleſtiam, exilium minantur, abuſi ad id ſpe metuque duobus præcipuis humanæ vitæ tyrannis. Ad hunc ordinem pertinent prognoſtæ, qui ex aſtris futura præſagiunt, quorum an ulla ſit ars, non eſt huius loci diſcute-

re.

© Biblioteca Nacional de España

re. Certe ut nunc vulgo utuntur, non mediocrem peſtem affert rebus humanis.

Sed eſt omnium peſtilentiſſimum adulatorum genus, qui ſpecie libertatis aſſentantur, ac miro quodam artificio dum repugnant, impellunt, dum obiurgant, laudant. Hos mire depinxit Plutarchus in libello, cui titulum fecit, quomodo dignoſci poſſit amicus ab adulatore. Diſſimulatum adulationis genus.

Sunt autem duæ ætates, quæ potiſſimum expoſitæ ſunt adulationi, pueritia, ob rerum inſcitiam, & ſenectus, ob animi imbecillitatem, in quavis autem ætate ſtultitia, quæ ſemper philautiam comitem ducit. At recte monuit Plato periculoſiſſimum eſſe adulandi genus, cum quis ipſe ſibi palpo eſt, & ob id ſeſe facile præbet aliis idem agentibus, quod ipſe iam ſua ſponte agebat. Sibi quisque adulatur.

Eſt tacita quædam adulatio & in picturis, ſtatuis, ac titulis. Sic Alexandro magno adulatus eſt Apelles

picturæ adulatrices.

Apelles, pingens eum fulmen manu torquentem. Et Octavius Apollinis effigie pingi gaudebat. Eodem pertinent immanes Colossi, quos olim Imperatoribus erigebant supra modum humanæ magnitudinis. Fortassis hoc alicui leviculum videbitur, sed est nonnihil & in hoc momenti, ut Principem eo cultu, habituque repræsentent artifices, qui sapiente gravique Principe maxime dignus sit. Et præstat aliquid agentem effingere, quod ad Remp. attineat, quam otiosum, velut Alexandrum in cognoscendis causis alteram aurem manu opposita claudentem. Aut Darium malum punicum tenentem, aut Scipionem sponsam iuveni intactam restituentem, auro quod offerebatur reiecto. Huiusmodi salutaribus picturis decet ornari Principum aulas, non iis, quæ lasciviam, fastum, aut tyrannidem doceant.

Tituli Principis.

Iam in titulis haud equidem negarim Principi suum honorem esse

esse tribuendum, malim tamen eiusmodi, qui nonnihil admoneant Principem officii sui., hoc est malim integerrimum, incorruptissimum, sapientissimum, clementissimum, beneficentissimum, cordatissimum, vigilantissimum, moderatissimum, patriæ studiosissimum vocari, quam inclytum, invictissimum, triumphatorem, semper augustum, ut ne commemorem interim celsitudines, sacras maiestates, divinitates, & his etiam adulantiores titulos. Probo morem, quo nunc Romanum Pontificem sanctissimi titulo honorant. Dum enim hæc audit assidue, commonefit quid ab illo præstari oporteat, & quid in illo sit pulcherrimum, non si ditissimus sit, aut latissime imperet, sed si sanctimonia præcellat.

Quomodo abutendum titulis solennibus.

Quod si vitari non potest quo minus hæc audiat nonnunquam Princeps vel invitus, tamen haud oportet dissimulare, quibus magis delectetur. Alexander Severus usque

© Biblioteca Nacional de España

que adeo fertur inviſos habuiſſe adulatores omnes, ut ſiquis ſalutaſſet abiectius, aut adulantius inflexiſſet caput, protinus cum convicio ſubmoveret hominem. Quod ſi dignitas aut magiſtratus quempiam à convicio vindicaſſet, hunc vultus auſteritate caſtigabat.

Præmonendus eſt igitur puer ut hos titulos, quos audire cogitur, in ſuum ſibi vertat commodum. Audit pater patriæ. Cogitet nullum unquam titulum Principibus additum, quam patris patriæ, qui magis proprie quadraret in bonum Principem. Id igitur ſibi agendum, ut hoc titulo dignus appareat. Ita ſi cogitat, admonitio fuerit, ſin ſecus, adulatio.

Invictus dicitur, cogitet quam ſit abſurdum invictum dici, quem vincit iracundia, qui quotidie ſervit libidini, quem captivum quo lubet ducit, agitque ambitio. Eum demum vere invictum eſſe, qui nulli cedit affectui, nec ulla re-

rum

© Biblioteca Nacional de España

rum ſpecie ab honeſto poteſt deflecti.

Cum Sereniſſimus appellatur, ſuccurrat Principis eſſe officium omnia tranquillare, omnia componere. Quod ſi quis per ambitionem aut iram, ſeditionibus ac bellorum tempeſtatibus perturbat, ac miſcet univerſa, hunc titulus Sereniſſimi non ornat, ſed vitium illiſuum exprobat.

Cum dicetur Inclytus, cogitet nullum eſſe verum decus, niſi quod à virtute, rectèque factis proficiſcitur. Quod ſi quem conſpurcat libido, contaminat avaritia, fœdat ambitio, quid aliud eſt Inclyti cognomen, quam admonitio, ſi quis erret imprudens; convicium, ſi prudens peccet? Titulorum adulatio.

Cum audiet regionum titulos, non ſtatim criſtas erigat, veluti tantarum rerum dominus, ſed ſic cogitet, quam multis bonum Principem debeo.

Si celſitudines, maieſtates, divinitates ingeret aliquis, memi-

© Biblioteca Nacional de España

nerit hæc non competere, nisi in eum, qui ad Dei exemplum administret imperium, cœlesti quadam animi magnitudine.

Cum audiet solennes panegyricos, ne protinus credat aut faveat suis laudibus, sed si talis nondum est, qualis prædicatur, admoneri se cogitet, detque operam ut iis laudibus aliquando respondeat. Si talis iam est, adniti debet ut seipso melior evadat.

Leges adulatrices.

Quin ipsas etiam leges oportebit habere suspectas. Assentantur & hæ nonnunquam Principi, nimirum vel collectæ, vel conditæ ab his, qui regibus aut imperatoribus erant addicti. Cum negant Principem teneri legibus, cum semet illi submittunt, cum ius in omnia tribuunt, caveat ne statim putet sibi licere quicquid animo collibuit. Bono Principi tuto permitti possunt omnia, mediocri non omnia, malo nihil.

Libri libere monent.

Ac prudenter quidem Demetrius Phalereus ad evolvendos libros

© Biblioteca Nacional de España

libros invitat, quod ſæpenumero quæ non auſint admonere Principis amici, ex his cognoſcat. Verum ad hoc prius Antidoto præmuniendus eſt, ad hunc modum. Hic, quem legis, ethnicus eſt, tu, qui legis, Chriſtianus. Hic cum multa præclare dicat, tamen exemplar boni Principis parum recte adumbravit, cave ne quicquid uſquam offenderis, id protinus tibi putes imitandum. Sed omnia ad Chriſti regulam exigito.

Lectio mala facit ingenium.

Ac primum quidem delectus habendus in auctoribus. Plurimum enim refert quos libros primum legat, & imbibat puer. Inficiunt animos colloquia mala. At non minus lectio mala. Abeunt enim in mores, & in affectus mutæ illæ literæ, præſertim ſi nactæ ſint ingenium ad morbum aliquem proclive, veluti puer natura ferox, ac violentus, haud magno negotio commovebitur ad tyrannidem, ſi non præmunitus Antidoto Achillem, aut Alexan-

© Biblioteca Nacional de España

drum magnum, aut Xerxem, aut Iulium legerit.

At hodie permultos videmus Arcturis, Lauslotis, & aliis id genus fabulis delectari, non solum tyrannicis, verumetiam prorsus eruditis, stultis, & anilibus, ut consultius sit in Comœdiis, aut poëtarum fabulis horas collocare, quam in eiusmodi deliramentis.

Quæ primum legenda Principi.

Quod si quis meo velit uti consilio, statim à tradita loquendi ratione, proponet Proverbia Solomonis, Ecclesiasticum, & librum Sapientiæ, non ut puer ab obstentatore interprete quatuor illis sensibus torqueatur, sed ut paucis ac commode commonstret, si quid ad boni Principis officium pertinet. Cum primis autem inserendus est amor & auctoris, & operis. Regno destinatus es? Hic regnandi docet artem. Regis es filius, rex futurus? Audies regem omnium sapientissimum, quid docear filium suum, quem ad regni successionem

© Biblioteca Nacional de España

nem præparat. Mox euangelia. Et hic magni refert, quibus modis ad amorem auctoris, & operis inflammetur animus pueri. Non parum etiam situm erit in dexteritate & commoditate interpretantis, ut breviter, ut dilucide, ut plausibiliter etiam ac vivide docear, non omnia, sed quæ potissimum ad Principis munus attinent, quæque ad pernicioſissimas vulgarium Principum opiniones ex animo revellendas faciunt. Tertio loco Plutarchi apophthegmata, deinde moralia. Nihil enim his sanctius potest inveniri: cuius & vitas proponi malim, quam cuiusquam alterius. Plutarcho proximum locum facile tribuerim Senecæ, qui scriptis suis mire exstimulat, & inflammat ad honesti studium lectoris animum, à sordidis curis in sublime subvehit, peculiariter ubique dedocens tyrannidem. Ex Politicis Aristotelis, ex officiis Ciceronis permulta decerpere licebit non indigna cogni-

© Biblioteca Nacional de España

tu. Sed ſanctius hiſce de rebus locutus eſt Plato, mea quidem ſententia, & hunc ex parte ſecutus Cicero in libris de legibus. Nam de Rep. interciderunt.

Hiſtorici quomodo legendi.

Iam vero non negaverim ex hiſtoricorum lectione præcipuam colligi prudentiam, verum ex iiſdem ſummam perniciem hauries, niſi & præmunitus, & cum delectu legeris. Vide ne tibi imponant celebrata ſeculorum conſenſu nomina ſcriptorum, aut ducum. Herodotus, Xenophon, uterque gentilis fuit, & plerumque peſſimum proponunt Principis exemplar, etiam ſi in hoc ipſum ſcripſerunt hiſtoriam, ut aut delectarent narratione, aut egregii ducis imaginem effingerent. Saluſtius, Livius multa quidem præclare, ac do, erudite omnia, ſed non omnia probant, quæ narrant, & quidam probant haud quaquam probanda Principi Chriſtiano. Cum Achillem audis, cum Xerxem, Cyrum, Darium, Iulium, ne quidi

rapi

© Biblioteca Nacional de España

rapiat magni nominis præſtigium. Magnos ac furioſos latrones audis. Sic enim illos aliquoties vocat Seneca.

Et tamen ſiquidem horum geſtis inciderit dignum bono Principe, id curabis ceu gemmam è ſterquilinio colligere. Nullus enim unquam fuit tyrannus uſque adeo illaudatus, qui non aliqua miſcuerit, quæ ſi virtute geſta non ſint, certe ad virtutis exemplum queant accommodari. Permulta ſunt in Phalaridis epiſtolis, quæ ſancto quoque rege videantur non indigna. Et ſatis regaliter in Perillum crudelitatis inſtigatorem, ſuum retorſit inventum. Permulta furioſe Alexander, ſed recte à Darii mulieribus captivis abſtinuit. & recte mulierem reduci domum iuſſit, ubi ſenſit eſſe coniugatam. Hæc igitur è multis erunt excerpenda, & vehementius accendunt ethnicorum, aut illaudatorum hominum exempla. Si ſic ſibi temperavit tyrannus, & à

Quomodo & mala exempla vertenda in bonum.

© Biblioteca Nacional de España

Christo alienus, si iuvenis & victor hanc sanctimoniam præstitit hostium fœminis, quid me facere convenit erga meas Principem Christianum? Si tantum fuit animi mulierculæ, quid à viro præstari decet? Si id probro datum est ethnico Principi, & ab ethnicis, quanto studio mihi vitandum, Christi religionem profitenti?

Porro quibus rationibus oporteat exemplum per amplificationem conferre, satis opinor indicavimus in libello de Copia rerum. Cæterum & vitiosa exempla in bonum deflecti possunt. C. Cæsaris industriam, & animi sublimitatem, quam ille male præstitit ambitioni, tu bene impende patriæ commodis. Clementiam, quam ille simulavit ad parandam, fulciendamque tyrannidem, tu ex animo adhibe ad conciliandam civium tuorum in te charitatem.

Quin pessimorum principum exempla nonnunquam magis accendunt

cendunt ad virtutem, quam optimorum, aut mediocrium. Quem enim non avocet ab avaritia Titi Vespasiani Vectigal è lotio collectum, & fœdissimo facto par dictum, Lucri bonus est odor ex re qualibet? Et execranda vox Neronis, qua solet mandare magistratus: Scis quid mihi sit opus. &, Cura nequis quid habeat? His rationibus fiet, ut quicquid obvium fuerit in historiographis, vertatur in exemplum recte agendi.

E tanta ducum turba fac optimos tibi deligas, velut Aristidem, Epaminondam, Octavium, Trajanum, Antonium pium, Alexandrum Mameam, nec hos tamen ita, ut totos velis exprimere, sed quod in optimis sit optimum, id tibi deligas. Alioqui est quod vites etiam in David, ac Salomone, regibus à Deo laudatis. Ex optimis optima imitanda.

Alioqui quid fingi possit insanius, quam hominem Christi sacramentis initiatum, Alexandrum, Iulium, aut Xerxem sibi

© Biblioteca Nacional de España

proponere, quorum vitam inceſſunt etiam ethnici ſcriptores, ſi quibus iudicium fuit paulo ſanius? A quibus ut ſuperari turpiſſimum eſt, ſiquid recte geſſerunt, ita totos imitari velle Chriſtianum Principem, extremæ dementiæ ſit.

Vetus inſtrumentum quomodo legendum.

Præmonendus eſt Princeps, ut nec ea, quæ in ſacris voluminibus legerit, continuo putet imitanda. Diſcat hebræorum pugnas, & cædes, immanitatem in hoſtes, ad allegoriam eſſe vocanda. Alioqui peſtiferam eſſe horum lectionem. Longe aliud permiſſum pro ratione temporis illi populo, aliud traditum cœleſti populo Chriſtianorum.

Quoties Princeps librum ſumet in manum, hoc animo ſumat, non ut delectetur, ſed ut melior à lectione diſcedat. Facile invenit unde reddatur melior, qui hoc vehementer ſtudet ut melior fiat. Magna pars bonitatis eſt velle bonum fieri, veluti qui morbum ambitio-

© Biblioteca Nacional de España

ambitionis, aut iracundiæ, aut libidinis agnoſcit, & odit, & in hoc explicat librum, quo malo ſuo medeatur, is facile reperit quo moleſtiam vel depellat, vel leniat. A nullis auditur verum ſyncerius, aut commodius, neque minore pudore, quam à libris. Sed tamen ſic amicos aſſuefaciat Princeps, ut qui libere monent, intelligant ſe gratiam inire. Eſt hoc quidem eorum, qui cum Principe conſuetudinem agunt, ut in tempore, ut commode, ut amice moneant, ſed tamẽ conveniet etiam parum dextre monentibus ignoſcere, ne recte monituri ullo exemplo deterreantur ab officio. Quomodo monendus Princeps.

In gravi tempeſtate quantumvis docti nautæ patiuntur ſeſe à quovis admoneri. At regno nunquam deeſt tempeſtas. Quis ſatis laudarit Philippi Macedonum regis civilem prudentiam, qui liberum eſſe iuſſit eum, à quo clam ſubmonitus eſt quod pallio ſubducto in genu parum decore ſederet. Quod

© Biblioteca Nacional de España

ille fecit in re levicula, id multo magis faciendum Principi in rebus patriæ periculosissimis, velut in suscipiendis peregrinationibus, in novandis legibus, in pangendis fœderibus, in movendo bello.

Artes Pacis.

IAm tametsi prisci scriptores universam administrandæ Reip. rationem in duplices artes secuerunt, pacis & belli, & prior & præcipua cura debet esse Principis instituendi in his rationibus, quæ ad pacis tempora sapienter moderanda pertinent, quibus hoc pro virili conandum est, ne belli muniis unquam sit opus.

Princeps suos nosse debet.

Qua quidem in re videtur illud in primis docendus Princeps, ut ditionem suam norit. Id quod tribus rebus potissimum consequetur, geographia, historia, & crebra regionum & urbium lustratione. Studeat igitur in primis regionum, ac civitatum situm, originem,

© Biblioteca Nacional de España

ginem, ingenium, instituta, consuetudines, leges, annales, ac privilegia cognoscere. Nemo potest mederi corpori, nisi cognito: nemo recte colit agrum, quem non novit. Atque hæc diligentissime curat tyrannus, sed animus, non res distinguit bonum Principem. Inquirit corporis rationem medicus, quo facilius subveniat, inquirit & veneficus, sed quo certius occidat.

Amor Principis in suos.

Proximum, ut amet eam regionem, cui imperat, nec aliter in eam sit affectus, quam in avitum fundum bonus agricola, aut in suam familiam vir bonus. Et illud in primis studio habeat, ut acceptam reddat meliorem, cuicunque successori traditurus. Si liberi sunt, persuadeat patri pietas in filios; sin minus, persuadeat Principi pietas in patriam: ac sibi subinde ceu faces admoveat ad excitandam in suos charitatem. Cogiter regnum nihil aliud esse, quam ingens quoddam corpus, cuius ipse

© Biblioteca Nacional de España

ipſe membrum aliquod inſigne ſit. dignos eſſe favore, qui ſuas fortunas omnes, qui ſuam incolumitatem unius fidei commiſerint. frequenter ingerat ſibi eorum exempla, quibus civium ſuorum commoditas ipſa vita fuit antiquior. Poſtremo fieri non poſſe, ut Princeps noceat Reip. quin ipſe ſibi noceat.

Civium erga Principem benevolentia.

Deinde modis omnibus dabit operam ut viciſſim ametur à ſuis, ſed ita, ut nihilo ſecius auctoritate polleat apud eoſdem. Ac benevolentiam ſtultiſſime quidem incantamentis, & anulis magicis ſibi conciliare nituntur, cum nullum ſit incantamentum efficacius ipſa virtute, quâ nihil eſſe poteſt amabilius, & ut ipſa vere bonum eſt, & immortalis, ita veram & immortalem comparat homini benevolentiam. Proximum huic philtron, ut amet qui cupiat redamari, ut eadem via ſibi adiungat cives ſuos, quâ Deus ſibi conciliat univerſos, nempe bene merendo. Fallun-

© Biblioteca Nacional de España

Falluntur & hi, qui largitionibus, epulis, prava indulgentia sibi multitudinis animos conciliant. Et paratur hisce rebus nonnulla popularis gratia potius, quam benevolentia, verum ea neque vera, neque duratura. Alitur interea mala populi cupiditas, quæ posteaquam, ut fit, in immensum increvit, iam nihil satis esse putat, & tumultuatur, nisi per omnia cupiditatibus respondeatur. Atqui istud est corrumpere tuos, non conciliare. Et his rationibus solet usu venire Principi in populo, quod stultis maritis solet, qui uxorum amorem, quem virtute & recte factis parare oportuit, blanditiis, muneribus, & obsequiis eblandiuntur. Fit enim denique ut nec amentur, ut prō frugi ac bene moratis fastidiosas habeant & intractabiles, pro mogeris querulas & obstreperas. Aut quod evenire solet mulierculis, quæ viros suos veneficiis ad amorem adigere nituntur, ut pro sanis habeant dementes. Pri-

© Biblioteca Nacional de España

Quomodo paranda populi benevolentia.

Primum discat uxor quomodo, & quibus nominibus sit amandus maritus, deinde ille talem præstet, qui recte possit amari. Ita populus assuescat optimis, & Princeps quod optimum est, præstet. Diu diligent, qui iudicio diligere cœperint.

In primis igitur qui volet amari à suis, eum præstet Principem, qui mercatur amari: deinde nonnihil profuerit tenere rationem, quo commodius irrepat in animos omnium. Hoc primum agat Princeps, ut qui sunt optimi, optime de se sentiant, & ab illis probetur, qui sunt omnibus probati. Hos habeat familiares, hos in consilium adhibeat, hos ornet honoribus, hos plurimum apud se valere patiatur. Ad hunc modum compendio fiet, ut omnes de Principe quam optime sentiant, qui fons est omnis benevolentiæ. Novi Principes per se non ita malos, qui non ob aliud in odium publicum venerint, nisi quod nimium

© Biblioteca Nacional de España

mium licere paterentur iis, de quibus universa multitudo male sentiebat, ex horum moribus Principum ingenium æstimante populo.

Princeps natus & educatus apud suos.

Equidem optarim Principem natum & educatum apud eos, quibus sit imperaturus, quod optime coeat & coalescat amicitia, quoties à natura proficiscitur initium benevolentiæ. Vulgus & bona ignota horret, oditque. contra, mala nota nonnunquam amantur. Ea res geminum afferet commodum. nam & Princeps propensior erit in suos, & omnino magis pro suis habebit, & populus magis ex animo favebit, & lubentius agnoscet suum Principem. Et hac de causa non perinde mihi probantur receptæ iam Principum cum exteris, & maxime cum semotis nationibus affinitates. Magnam vim ad benevolentiam conciliandam habet genus, & patria, & veluti quidam communis utriusque genius. Huius bonam

© Biblioteca Nacional de España

bonam perire partem neceſſe eſt, germanum illum ac nativum affectum confundente matrimoniorum miſtura. Verum ubi natura mutuæ charitatis fecit initium, ibi conveniet eam cæteris item rationibus augere & confirmare. Ubi ſecus eſt, ibi tanto ſollicitius adnitendum, ut mutuis officiis, & moribus favore dignis benevolentia colligatur, Sed quod fit in conjugiis, ut initio uxor obſequatur viro, & vir nonnihil concedat & indulgeat uxoris ingenio, donec utroque alteri cognito, paulatim coalescat amicitia, idem fieri convenit in Principe aliunde aſcito.

Mithridates. Mithridates omnium gentium, quibus imperabat, linguas ediderat, quas numero viginti duas fuiſſe proditum eſt.

Alexander magnus. Alexander magnus apud quantumvis barbaras nationes agens, initio cultum & mores imitabatur, hac via ſeſe in illorum inſinuans benevolentiam.

Alcibiades. Idem laudatum eſt in Alcibiade.

Nihil

Nihil æque multitudinis animum alienat à Principe, quam si foris agere gaudeat, quod negligi videatur ab eo, cui præcipue vellet esse curæ. Tum quod exigitur, quoniam alibi consumitur, perire sibi putat, nec Principi dari vectigal interpretatur, sed alienis prædam obiici. Proinde neque patriæ quicquam molestius aut perniciosius, neque Principi periculosius, quam longinquæ peregrinationes, præsertim si diutinæ sint.

Nam ea res omnium opinione, & Philippum nobis ademit, & non minus afflixit ditionem illius, quam bellum tot iam annos cum Ghelriis gestum.

princeps in medio suorum.

Ut inter apes rex medio agmine cingitur, nec usquam provolat, ut cor in meditullio corporis, ita convenit Principem semper obversari inter suos.

De tuendo imperio.

Duæ potissimum res sunt (ut in Politicis tradit Aristoteles) quæ subvertunt imperia, odium, & contemptus. Odio opponitur be-

© Biblioteca Nacional de España

nevolentia, contemptui auctoritas. Itaque Principis partes erunt diligenter observare quibus hæc parentur, illa vitentur. Odium conflatur sævitia, violentia, contumeliis, morositate, difficultate, rapacitate. Et facilius concitatur odium, quam excitatum placetur. Modis omnibus igitur cavendum bono Principi, ne qua occasione à caritate suorum excidat. Crede mihi magno satellitio nudatur, qui favore populi destituitur. Contra, benevolentia multitudinis conciliatur his moribus (ut dicam in genere) qui plurimum absint à tyrannide, clementia, comitate, æquitate, civilitate, benignitate. Benignitas extimulat ad officium, præsertim si conspexerint iis esse præmium apud Principem, qui de Rep. benemereantur. Clementia, male sibi conscios invitat ad meliorem frugem, dum veniæ spem ostendit iis, qui superioris vitæ errata novis officiis studeant pensare, grata

inte-

© Biblioteca Nacional de España

interim & integerrimis contemplatione naturæ humanæ. Civilitas ubique aut amorem gignit, aut certe lenit odium, verum ea in magno Principe longe gratissima multitudini.

Contemptus potissimum contrahitur studio voluptatum, libidinis, vinolentiæ, comissationum, aleæ, morionum, scurrarum, tum autem stultitia, socordiaque. Et his diversis rebus paratur auctoritas, prudentia, integritate, temperantia, sobrietate, & vigilantia. His igitur rebus sese commodet Princeps, qui vere cupiat auctoritate pollere apud suos. Contemptus unde.

At ridicule quidam ita se magni habendos credunt apud suos, si strepitu, cultu, luxuque sese quam maxime ostentent. Quis enim magnum putat Principem auro, aut gemmis ornatum, cui norunt omnes tantum esse, quantum vult? Et interim, quid aliud ostentat, quam calamitatem suorum civium dispendio hunc alentium luxum? Strepitus ac luxus indecorus.

© Biblioteca Nacional de España

xum? Denique quid aliud docet hac ratione ſuos, niſi ſeminarium ſcelerum omnium?

Vita Principis. Sic colatur, ſic vivat bonus Princeps, ut ex huius vita cæteri proceres, ac cives frugalitatis ac ſobrietatis exemplum capere poſſint.

Sic agat domi, ut nullius interventu deprehendi poſſit. Et foris haud decet uſquam Principem conſpici, niſi ſemper aliquid agitantem, quod ad publicam faciat utilitatem.

Oratio Principis. Ex oratione certius, quam ex amictu Principis animus cognoſcitur. Spargitur in vulgus quicquid ab ore Principis fuerit exceptum. Proinde ſummam oportet eſſe curam, ut ea, quæ loquitur, virtutem ſapiant, & mentem bono Principe dignam præ ſe ferant. Nec prætereundum eſt Ariſtotelis hac in re conſilium, ut Princeps, qui volet odium ſuorum effugere, ac benevolentiam alere, quæ ſunt odioſa, deleget aliis,

© Biblioteca Nacional de España

aliis, quæ plausibilia per se faciat. Hoc pacto magna pars invidiæ defluet in eos, per quos res administratur, præsertim si fuerint & alias invisi populo. Rursus in beneficiis solida gratia ad unum Principem pertinebit.

Quomodo dandum aut negandum beneficium.

Addam & illud, conduplicari beneficii gratiam, si cito, si alacriter, si ultro detur, & si verbis amicis commendetur. Quod siquid negandum erit, id blande, placideque fieri conveniet. Siquid puniendum, minuendum nonnihil de præscripta legibus pœna, & ita sumendum supplicium, ut appareat Principem huc invitum descendisse.

Ministri & amici Principis.

Neque satis est, si Princeps suos unius mores integros & incorruptos præstet Reip. Non minus adnitendum ut quoad licet universam suam familiam, proceres, amicos, ministros, magistros sui similes habeat. Hi membra sunt Principis, & horum sceleribus conflatum odium in ipsum redundar

© Biblioteca Nacional de España

dat Principem. At istud difficillimum inquiet aliquis. Facilius fuerit, si curet optimos in suam familiam allegere. Deinde si fecerit ut hi intelligant ea maxime placere Principi, quæ maxime sint in rem populi. Alioqui fit sæpenumero ut negligente, aut etiam connivente ad ea Principe sceleratissimi homines sub prętextu Principis tyrannidem exerceant in plebem, & dum videntur illius agere negotium, pessime consulunt eius nomini.

Apophthegma. Alioqui tolerabilior est Reip. status, ubi Princeps ipse malus est, quam ubi Principis amici mali. Unum tyrannum utcunque ferimus. Quandoquidem unius avaritiam facile populus explet, unius libidini, non magno negotio fit satis, unius sævitiam satiare licet. At tot tyrannos explere gravissimum est.

Novitas omnis periculosa. Omnis novatio quoad fieri poterit, fugienda Principi. Nam etiam si quid in melius commutetur, tamen ipsa novitas offendit. Nec unquam

unquam ſine tumultu commutatus eſt vel Reip. ſtatus, vel publica civitatis conſuetudo, vel leges olim receptæ. Proinde ſiquid erit eiuſmodi, ut ferri poſſit, non erit innovandum, ſed aut tolerare conveniet, aut commode ad meliorem uſum deflectere. Rurſum ſiquid erit eius generis, ut tolerandum non ſit, id erit corrigendum, ſed arte ac paulatim.

Scopus Principis.

Permagni refert quem ſcopum ſibi proponat is, qui gerit Principatum: nam ſi parum recte deſtinarit, tota aberrer via neceſſum eſt. Summum igitur boni Principis decretum eſſe debet ut non ſolum tueatur præſentem Reip. felicitatem, verumetiam florentiorem reddat, quam acceperit.

Præpoſtera bonorum ratio.

Cæterum cum tria ſint bonorum genera (ut Peripateticorum more loquamur) videlicet, animi, corporis, & externa, cavendum erit ne horum ratio præpoſtere habeatur, ut civitatis felici-

© Biblioteca Nacional de España

tatem externis illis bonis potiſſimum metiatur. Nam hæc quidem non oportet alio pacto comparare, niſi quatenus ad animi, corporiſque bona pertineant. Hoc eſt ita demum exiſtimet cives ſuos eſſe feliciſſimos, non ſi ditiſſimos habeat, aut optima corporis valetudine, ſed ſi iuſtiſſimos ac temperatiſſimos, ſi quam minime cupidos, ſi quam minime feroces, aut factioſos, ſi quam maxime concordes.

Abuſus vocabulorum.

Cavendum & illud, ne pulcherrimarum rerum falſis vocabulis decipiatur, quo quidem è fonte quicquid eſt malorum in urbe, fere ſcatet, ac proficiſcitur. Neque enim vera felicitas eſt, cum populus otio, luxuque diffluit, neque vera libertas, ubi cuique quod libuit, licet. Nec ſervitus eſt, ad legum honeſtarum præſcriptum vivere, neque tranquilla Reſp. cum ad omnem Principis nutum obſecundat populus, ſed cum bonis paretur legibus, & Principi

© Biblioteca Nacional de España

cipi bene consulenti iuxta legum dictamen. Nec æqualitas est, idem omnium prçmium, idem ius, idem honos. Immo hæc est nonnunquam summa inæqualitas.

Illud in primis admonendus est Princeps gubernaculis admovendus, principuam Reip. spem sitam esse in recta educatione puerorũ, id quod prudenter docuit Xenophon in institutione Cyri. Nã rudis ætas ad quamvis disciplinam sequax est. Proinde cum primis habenda cura de ludis publicis ac privatis, de virginum institutione, ut statim sub optimis & incorruptissimis præceptoribus simul & Christum imbibant, & honestas literas, Reiquepub. salutares. Hac ratione fiet ut non sit opus multis legibus, aut suppliciis, nimirum civibus suapte sponte quod rectum est, sequentibus. Scholæ publicæ & educatio.

Tantam vim habet educatio, ut Plato scripserit hominem recte institutum in divinum quoddam

© Biblioteca Nacional de España

animal evadere. Contra, perperam educatum in immaniſſimam quandam degenerare beluam. Nihil autem magis refert Principis, quam ut cives ſuos habeat quam optimos. Danda erit igitur opera ut protinus aſſueſcant optimis, propterea quod quævis muſica ſuaviſſima eſt aſſuefactis. Et nihil eſt difficilius, quam revellere hominem ab his, quæ longo iam uſu in naturam abierunt. Nihil autem horum fuerit admodum difficile, ſi Princeps ipſe quæ ſunt optima, ſequetur.

Tyrannidem ſapit, immo ſycophanticum eſt, ita tractare plebem, ut immanem aliquam beluam tractare ſolent beſtiarii, quibus id in primis ſtudio eſt, ut obſervent, quibus rebus deliniatur, aut irritetur, deinde utcunque commodum videtur commovent, aut demulcent, ut graviter dictum eſt à Platone. Nam iſtud eſt abuti plebis affectibus, non illi conſulere.

Conſulendum plebi, non abutendum illius affectibus.

Quod

Quod si populus erit intractabilis, & suo ipsius bono repugnans, tum aut obsecundandum erit ad tempus, & paulatim ad tuum institutum inducendus vel arte quapiam, vel fuco salutari. Quemadmodum vinum cum bibitur, primum paret, donec sensim illapsum venis totum hominem in suum ius rapiat. Aliquando obsecundandum populo.

Etsi nonnunquam negotiorum procellæ, & opiniones publicæ Principem nonnihil revocant ab instituto, cogiturque servire tempori, tamen haud desinet, quoad potest reniti, & quod hac non successit, alia conari via.

De vectigalibus & Exactionibus.

SI quis excutiat veterum annales, reperiet pleraſque seditiones ex immodicis exactionibus ortas fuisse. Proinde curandum erit bono Principi ut quam minimum irritentur hisce rebus animi

© Biblioteca Nacional de España

plebis. Gratuito si potest, imperet. Sublimius est Principis officium, quàm ut mercenarium esse deceat. Et bonus Princeps habet, quicquid cives possident amantes.

Princeps conscientia rectè factorum contentus.

Fuere complures ethnici, qui ex rebus bene pro Repub. gestis nihil in ædes suas intulerunt, præter gloriam. Fuit unus & alter, qui hanc quoque contempserit, veluti Fabius Maximus, & Antoninus pius. Quanto magis oportet Christianum Principem conscientia recti contentum esse? præsertim cum ei militet, qui nullum rectè factum non ampliſſimis præmiis repensat?

Sunt quidam, qui nihil aliud agant apud Principes, quam ut novis subinde titulis repertis quamplurimum emungatur à populo, actum se Principum rebus probe consulere credunt, perinde quasi hostes sint suorum civium. Atqui hos, qui libenter audit, is sciat se à Principis vocabulo plurimum abesse. Hos

Hoc potius ſtudendum, & in hoc excogitandæ rationes, ut quam poteſt minimum exigatur à populo. Commodiſſima fuerit augendi vectigalis ratio, ſi Princeps ſumptus ſupervacaneos amputarit, ſi miniſteria otioſa reiecerit, ſi bella & his ſimillimas peregrinationes vitaverit, ſi officiorum rapacitatem cohibuerit, & ſi magis ſtudeat recte adminiſtrandę ditioni ſuæ, quam propagandæ. Quomodo minuendæ exactiones.

Alioqui ſi exactiones avaritia metietur aut ambitione, quis tandem futurus eſt exigendi vel modus, vel finis? Quandoquidem infinita eſt cupiditas, & ſemper urget & intendit quod cœpit, donec (iuxta proverbium vetus) nimium tenſus rumpatur funiculus, & in ſeditionem demum erumpat victa populi patientia, quæ res florentiſſimis quondam imperiis exitium attulit.

Quod ſi neceſſitas flagitat exigi nonnihil à populo, tum boni Principis eſt id his rationibus facere, Ratio qua non gravantur tenues.

© Biblioteca Nacional de España

ut quam minimum incommodorum perveniat ad tenues. Nam divites ad frugalitatem vocare fortassis expedit. At pauperes ad famem & laqueum adigi tum inhumanissimum est, tum parum tutum.

Illud etiam, atque etiam secum cogitet pius rex, dum studet augere suum satellitium, dum neptem aut sororem splendide vult elocare, dum liberos omneis sibi pares reddere, dum proceres suos locupletare, dum peregrinans opes suas gentibus ostentare, quam inhumanum est ob hæc tot hominum millia domi cum uxoribus & liberis fame necari, involvi ære alieno, ad rerum omnium desperationem adigi. Nec enim istos vel inter homines recenseverim, nedum inter Principes, qui è pauperculis extorquent quod turpiter perdant scortis, aut alea. Et huiusmodi quosdam audimus esse, qui hoc quoque ius suum esse putent.

Quin

© Biblioteca Nacional de España

Quin & illud ſecum expendat, quicquid ſemel inductum fuerit per occaſionem temporum, quod ad Principis aut procerum lucrum attinere videatur, id nunquam poteſt aboleri, cum ſublata exigendi neceſſitate non modo tollendum eſſet onus populi, verum etiam ſarciendum, ac reponendum quoad fieri poſſit, ſuperiorum temporum diſpendium. Proinde qui bene vult populo ſuo, cavebit exemplum peſtilens inducere. Quod ſi gaudet calamitate ſuorum, aut eum negligit, nihil minus eſt quam Princeps, quocunque vocetur nomine. Periculoſum exemplum.

Curandum interim, ne nimia ſit opum inæqualitas, non quod quenquam per vim bonis exui velim, ſed quod iis rationibus utendum, ne multitudinis opes ad paucos quoſdam conferantur. Nam Plato cives ſuos neque nimium divites eſſe vult, neque rurſus admodum pauperes, quod pauper prodeſſe non poſſit, dives Aequalitas fortunarum.

© Biblioteca Nacional de España

arte ſua prodeſſe velit.

Quid, quod ne locupletantur quidem aliquoties exactionibus huiuſmodi Principes? Id qui cupit cognoſcere, recenſeat quanto minus proavi receperint à ſuis, & quanto beneficentiores fuerint, quantoque magis rebus omnibus abundarint, quod bona pars horum inter digitos exigentium & recipientium dilabatur, & minima pars ad ipſum redeat Principem.

Quæ res exactionibus gravandæ.

Quarum igitur rerum uſus infimæ quoque plebi communis eſt, has quam minimum gravabit bonus Princeps, veluti frumenti, panis, cerviſiæ, vini, pannorum, ac cæterarum item rerum, ſine quibus humana vita non poteſt tranſigi. Atqui hæc nunc potiſſimum onerantur, idque non uno modo, primum graviſſimis exactionibus, quas redemptores extorquent (vulgus aſſias vocat,) deinde portoriis, quæ & ipſa ſuos habent redemptores, poſtremo monopoliis,

© Biblioteca Nacional de España

liis, ex quibus ut paululum compendii redeat ad Principem, quanto dispendio multantur tenues?

Igitur optime quidem (ut dictum est) augetur Principis census contractis impendiis, & hic quoque iuxta proverbium magnum vectigal parsimonia est, tamen si vitari non potest quin exigatur aliquid, & ita res populi flagitat, onerentur barbaræ, ac peregrinæ merces, quæ non tam ad vitæ faciunt necessitatem, quam ad luxum, ac delicias, & quarum usus divitum est peculiaris, veluti byssus, serica, purpura, piper, aromata, unguenta, gemmæ, & si quid est aliud huius generis. Nam hinc incommodum sentient ii tantum, quorum fortunæ ferre possint, nec ob hanc iacturam ad inopiam redigentur, sed fortasse reddentur frugaliores, ut pecuniæ iactura morum bono sarciatur.

In curanda moneta bonus Princeps præstabit eam fidem, quam & Deo debet, & populo, neque De moneta Principis.

© Biblioteca Nacional de España

ſibi permittet, quod atrociſſimis ſuppliciis punit in aliis. Hac in re quatuor ferme modis expilari populus ſolet, id quod nos aliquandiu vidimus à morte Caroli, cum diutina anarchia, quavis tyrannide perniciosior, ditionem tuam affligeret. Primum ubi nomiſmatis materia miſtura quapiam vitiatur, deinde cum ponderi detrahitur. Præterea, cum circunciſione minuitur. Poſtremo cum æſtimatio nunc intenditur, nunc remittitur, utcunque viſum eſt Principis fiſco conducere.

De beneficentia Principis.

CUm propria bonorum Principum laus ſit benignitas, ac beneficentia, qua tandem fronte Principis vocabulum ſibi vindicant, quibus omnium conſiliorum ſumma huc tendit, ut cunctorum incommodo ſuis conſulant rationibus? In hoc igitur erit ingenioſus, ac vigilans Princeps,

© Biblioteca Nacional de España

ceps, quo pacto possit de omnibus bene mereri, quæ res non est tantum in dando sita. Alios iuvabit liberalitate, alios favore sublevabit, alios afflictos auctoritate sua liberabit, nonnullis ingenio consulet. Et hoc animo erit, ut eum diem sibi periisse putet, quo non beneficio suo iuverit aliquem.

Beneficiendum de Rep. bene merentibus.

Nec tamen temere collocanda est Principis liberalitas. Sunt enim qui inclementer extorqueant à bonis civibus, quod in motiones, delatores, & voluptatum ministros effundant. Intelligat Resp. iis potissimum expositam Principis benignitatem, qui publicis commodis quam maxime consulant. Virtuti præmium sit non affectui.

Illud beneficentiæ genus maxime sectandum est Principi, quod cum nullius incommodo, aut certe iniuria coniunctum est. Nam alios spoliare, ut dites alios, hos pessundare, ut illos evehas, adeo non est beneficium, ut geminum potius

potius sit maleficium, præsertim si quod dignis ademptum est, ad indignos transferatur.

Adventus boni Principis omnibus salutaris.

Non abs re fictis poëtarum fabulis proditum est, deos nusquam accedere solitos, nisi magno quopiam bono eorum, à quibus excipiebantur. At cum adventante Principe cives, siquid est elegantius in supellectile abdunt, filias insigni forma recludunt, adolescentes ablegant, opes dissimulant, ac modis omnibus contrahunt sese, nonne reipsa satis indicant quam de eo habeant opinionem, cum id faciunt, quod facerent adventante hoste, aut prædone? Cum ad Principis adventum iis timent, quæ illius officii fuerat tueri, siquis forte insidias, aut vim pararet? Ab aliis timent insidias, ab illo vim quoque. Cum alius queritur se pulsatum, alius abductam virginem, alius stupratam uxorem, alius negatam mercedulam, papæ quantum hic adventus abest ab illa Deorum imagine.

Cum

© Biblioteca Nacional de España

Cum civitatum, ut est quæque florentissima, ita maxime suspectum habet Principem, cum ad Principis adventum sceleratiores exiliunt, optimus quisque & cordatissimus cavet & contrahitur, ut nihil loquatur, certe factis prædicant quam habeant de Principe opinionem. At respondeat aliquis. Non possum meorum omnium continere manus, ego quod in me est, præsto. Fac intelligant id te vehementer & ex animo velle, disperam, ni continebunt. Et ita demum populo fidem facies hæc invito te fieri, si non patieris impune fieri.

Christiani Principis bene mereri de omnibus.

Fortassis ethnico Principi satis erat in suos esse benignum, in exteros iustum modo. At Christiani Principis est nullum pro extero ducere, nisi qui sit alienus à Christi sacramentis, ac ne hos quidem iniuriis lacessere. Suos quidem cives in primis agnoscere. Cæterum de omnibus benemereri, de quibus possit.

Quan-

© Biblioteca Nacional de España

Quanquam illud perpetuo ſtudendum eſt Principi, ne cuiquam omnino fiat iniuria, tamen iuxta Platonis ſententiam, diligentius eſt cavendum, ne quid lædantur hoſpites, quam ne cives, propterea quod hoſpites amicorum & cognatorum auxilio deſtituti magis obnoxii ſunt iniuriis, unde & Iovem ultorem habere putabantur, cui ex re Xenio fecêre nomen.

De legibus condendis aut emendandis.

OPtimæ leges ſub optimo Principe præcipue beatam reddunt civitatem, aut regnum: cuius tum feliciſſimus eſt ſtatus, cum Principi paretur ab omnibus, atque ipſe Princeps paret legibus, leges autem ad Archetypum æqui & honeſti reſpondent, nec alio ſpectant, quam ad rem communem in melius provehendam.

Bonus, ſapiens, & incorruptus Princeps nihil aliud eſt, quam vi-

va

© Biblioteca Nacional de España

va quædam lex. Dabit igitur operam non ut multas condat leges, sed ut quam optimas, maximeque Reip. salutares. Nam bene institutæ civitati sub bono Principe, & integris magistratibus pauciſſimæ leges sufficient. Sin secus fuerit, nullæ quamlibet multæ satis erunt. Non optime agitur cum ægrotis, quoties indoctus medicus pharmaca pharmacis accumulat. Pauca leges sed optimæ.

In condendis autem legibus illud in primis cavendum erit, ne quid oleant fisci lucrum, ne privatam procerum commoditatem, sed ad exemplar honesti, & ad publicam utilitatem referantur omnia, & eam utilitatem non ad vulgarem opinionem, sed ad sapientiæ regulam exigant, quam oportet ubiq; Principibus in consilio esse. Alioqui ne lex quidem erit, fatentibus & ethnicis, ni iusta sit, ni æqua, ni publicis commodis consuleus. Nec protinus lex est, quod Principi placuit, sed quod sapienti, bonoque Principi placuit, Lex publicam utilitatem spectet.

© Biblioteca Nacional de España

placuit, cui nihil placet, nisi quod honestum, & è Rep. sit. Quod si distorta fuerit regula, ad quam exæquanda fuerant prava, quid futurum est, nisi ut per huiusmodi leges etiam quæ recta fuerant, depraventur?

Et Plato vult leges esse quam pauciſſimas, maxime de rebus levioribus, veluti de pactis, commerciis, vectigalibus. Nec enim ex multitudine legum nasci salutem Reip. non magis quam ex multitudine pharmacorum. Ubi Princeps integer est, & officio suo fungunrur magistratus, nihil opus multis legibus: ubi secus habet, ibi legum abusus in perniciem vertitur Reipub. dum & bene conditæ leges horum improbitate alio detorquentur.

Officit etiam legum multitudo.

Insidiosæ leges.

Iure notatus est Dionysius ille Syracusanus, qui tyrannico consilio plurimas tulit leges, alias super alias ingerens, easque (ut fit) à populo negligi patiebatur, quo cunctos ad hunc modum sibi red-

dere:

© Biblioteca Nacional de España

deret obnoxios. At istud non est leges condere, sed laqueos tendere.

Et merito reprehensus est Epitades, qui legem tulit ut liberum esset cuique cui vellet sua relinquere, hoc interim agens, ut ipse filium, quem oderat, posset exhæredare. At primum non intelligebat populus hominis technam, verum ea res deinde gravem perniciem attulit Reip.

Eiusmodi leges proponat Princeps, quæ non solum pœnam denuntient sontibus, verum etiam quæ persuadeant non esse peccandum. Proinde errant, qui putant leges pauciſſimis verbis esse comprehendendas, ut tantum iubeant. non etiam doceant, immo magis in hoc sint occupatæ, ut deterreant à peccando rationibus quam pœnis, etiamsi hanc Platonis sentiam non approbat Seneca. Sed audacter hoc quidem magis, quam erudite. Leges suadeant magis quam minentur.

Idem non permittit iuvenibus disputa-

© Biblioteca Nacional de España

Non temere quivis disputet de legibus.

disputare de æquitate legis, senioribus permittit moderate. Verum ut non est vulgi temere censere leges Principum, ita Principis est curare ut eas ferat leges, quæ bonis omnibus placeant, ut meminerit infimis etiam sensum esse communem. Laudatus est in hoc M. Antoninus pius, quod nihil unquam egerit, quod omnibus per literas etiam non conatus sit approbare, redditis causis cur id iudicarit expedire Reip.

Eleganter Xenophon in Oeconomicis prodidit, cætera quoque animantia duabus rebus potissimum adduci ad obtemperandum, cibo, si quod fuerit abiectius, aut delinimento, si generosius, velut equus, & plagis, si contumacius, velut asinus. At homo cum sit animal omnium generosissimum, non tam minis ac suppliciis cogi, quam præmiis oportebit ad officium invitari legibus.

Leges præmiis invitent.

Leges igitur non solum pœnam irrogent delinquentibus, sed præmiis

miis quoque provocent ad benemerendum de Rep. Quod genus multas fuisse videmus apud veteres. Siquis fortiter fecisset in bello, optabat præmium, & si cecidisset, liberi ex publico alebantur. Siquis civem servasset, siquis hostem à mœnibus depulisset, siquis salubri consilio succurrisset Reipublicæ.

Quanquam autem egregii civis est, vel nullo proposito præmio quod optimum est, sequi, tamen expedit huiusmodi illectamentis rudium adhuc civium animos ad honesti studium inflammare. Præmia rudes invitant.

Qui generoso sunt animo, honore magis capiuntur, qui sordidiore, lucro quoque ducuntur. Omnibus igitur hisce rationibus lex sollicitabit, honore; & ignominia, lucro, ac damno. Porro qui prorsus servili sunt ingenio, vel potius beluino; hi vinculis, ac flagris donandi sunt.

Ad huiusmodi honoris & ignominiæ sensum iam inde à pueritia assue-

© Biblioteca Nacional de España

assuescant cives, ut intelligant non opibus aut stemmatis deberi præmium, sed recte factis.

In primis agendum ne committantur puniendâ.

In summa, huc modis omnibus spectet principis vigilantia, non ut tantum puniantur admissa, sed illo multo magis respiciat & incumbat, hoc in primis agat, ut caveat ne quid admittatur supplicio dignum.

Ut enim melior medicus, qui morbum excludit & arcet, quam qui pharmacis expellat acceptum, ita non paulo præstabilius est efficere ne facinora patrentur, quam si perpetrata puniantur. Id autem fiet, si causas, ex quibus animadverterit potissimum nasci flagitia, vel recidat, si queat, vel certe premat, & attenuet.

Vitiosa opinio fons malorum.

Primum igitur ex vitiosis de rebus opinionibus (ut dictum est) velut è corruptis fontibus maxima pars facinorum scatet. Id igitur in primis agendum, ut cives habeas optimis institutos rationibus, deinde magistratus non solum sapientes,

© Biblioteca Nacional de España

pientes, verum etiam incorruptos.

Ac recte monet Plato nihil non tentandum, & omnem (quod aiunt) movendum esse lapidem, priusquam ad ultimum veniatur supplicium. Agendum argumentis ne quis peccare velit, deinde deterrendi metu numinis malefactorum vindicis, præterea minis supplicii. Quibus si nihil proficitur, ad supplicia veniendum, sed leviora, quæ medeantur malo, non quæ tollant hominem. Quod si nihil horum procedit, tum denique ceu membrum deploratum, & immedicabile ab invito legibus resecandum, ne pars syncera trahatur in vitium. Sero ad supplicia veniendum.

Quemadmodum fidus ac doctus medicus non adhibet sectionem, aut ustionem, si malagmate, aut potione tolli malum possit, nec unquam ad illa descendit, nisi morbo coactus, ita Princeps omnia tentabit remedia, priusquam ad capitale supplicium veniat, ita Sananda mala, non tollendi homines.

cogi-

© Biblioteca Nacional de España

cogitans Remp. unum esse corpus: at nemo membrum amputat, si diversa via possit sanitati restitui.

Ut probus medicus in apparandis remediis haud alio spectat, quam ut quam minimo ægrotantis periculo morbus pellatur, ita bonus Princeps in condendis legibus non alio respiciet, quam ad publicam utilitatem, utque populi malis, quam minimo medeatur incommodo.

Occasio malefactorum profligandæ.

Bona facinorum pars hinc potissimum nascitur, quod ubique plurimi fiant divitiæ, contempta sit paupertas. Dabit igitur Princeps operam ut sui cives virtute, ac moribus æstimentur, non censu, idque primum in seipso, ac suis exhibeat. Quod si conspexerint Principem ostentare divitias, & apud illum ut quisque ditissimus est, ita plurimi fieri, ad magistratus, ad honores, ad officia nummis patere viam, istis nimirum rebus incitantur animi multitudinis ad opes per fas, nefasque parandas.

Et ut

© Biblioteca Nacional de España

Et ut magis in genere loquamur, plæraque rerum publicarum omnium sentina ex otio nascitur, quod diversis rationibus affectant omneis, cui, qui semel assueti sunt, si desit quo alant illud, ad malas artes confugiunt. Hoc igitur aget Principis vigilantia ut quantum potest, minimam habeat inter suos turbam otiosorum, & aut ad opus adigat, aut expellat è civitate. Otiosi pellendi.

Plato mendicos omneis procul è sua Repub. pellendos putat. Quod si qui senio, morbove fracti suos non habent, à quibus alantur, iis gerontotrophiis, & nosotrophiis publicis consulendum erit. Qui parvo contentus est, non eget mendicitate. Mendici.

Sacrificulos, qui ad quæstum sacra quædam circumferebãt oppidatim, Massylienses in civitatem suam non recipiebant, quo religionis prætextu sectarentur otium, & luxum. Et fortassis expedit Reip. monasteriorum esse modum. Est enim & hoc otii genus Sacerdotes supervacanei. Monasteria & collegia supervacanea.

© Biblioteca Nacional de España

quoddam, præsertim quorum vita parum probata fuerit, & otiosam, & ignavam transigant viram. Quod de monasteriis dico, idem de collegiis sentiendum.

Ad hoc genus pertinent redemptores, institores, fœneratores, proxenetæ, lenones, custodes villarum, ac vivariorum, grex ministrorum, ac stipatorum, qui apud nonnullos tantum ambitionis aluntur gratia. His cum non suppetit quod luxus otii comes efflagitat, ad malas artes degenerant.

Militum genus pessimum.

Est & militiæ negotiosum otii genus, sed multo pestilentissimum ex quo semel omnium bonarum rerum exitium, & omnium malarum rerum colluvies proficiscitur. Hæc igitur flagitiorum seminaria si Princeps arcebit è suo regno, multo minus erit, quod legibus puniat.

Vera nobilitas.

Habendus igitur honos utilibus artificiis, nec iners otium nobilitatis titulo donandum, ut obiter & hoc indicem. Non quod

© Biblioteca Nacional de España

bene natis ſuum honorem detraham, ſi reſpondeant maiorum imaginibus, & iis rebus præcellant, quæ primum nobilitatem pepererunt. Alioqui ſi tales ſunt, quales hodie plerosque videmus, molles otio, voluptatibus effœminati, omnium bonarum artium imperiti, tantum belli comeſſatores, ſtrenui alcatores, ne quid dicam obſcœnius, quid eſt obſecro cur hoc hominum genus calcearijs, aut agricolis præferatur? Nam olim patriciis otium datum eſt à ſordidioribus opificiis, non ad nugandum, ſed diſcendas eas diſciplinas, quæ ad Remp. adminiſtrandam faciunt. Ne ſit igitur turpe, ſi cives opulenti aut patricii ſuos liberos artem doceant ſedentariam. Primum dum eius ſtudio detinentur adoleſcentuli, cohercebuntur à multis flagitiis. Deinde ſi nihil erit opus arte, ea neminem onerat. Sin (ut eſt inſtabilis rerum humanarum fortuna) deerit, tum

© Biblioteca Nacional de España

artem non modo quævis terra, ſicut habet proverbium, ſed quævis etiam alit fortuna.

Ex luxu multa mala.

Veteres illi quoniam intelligebant plurimum malorum naſci ex luxu & profuſione, ſumptuariis legibus occurrerunt, creatis in hoc cenſoribus, qui immodica impendia in conviviis, in veſtitu, aut in ædificiis cohiberent. Id ſi cui durum videtur non licere cuique ſuis rebus pro ſua uti, & abuti libidine, cogitet multo durius eſſe civium mores per luxum eo delabi, ut capitis ſupplicio ſit opus, & humanius eſſe cogi ad frugalitatem, quam vitiis ferri in perniciem.

Incorrupti magiſtratus.

Nihil inutilius quam ex admiſſis civium lucrum redire ad magiſtratus. Nam qui dabit operam ut quamminimum exiſtat malorum, cui expedit quamplurimos eſſe nocentes?

Et par eſt, & apud priſcos fieri conſuevit, ut multatitia pecunia potiſſimum ad eum rediret, qui

© Biblioteca Nacional de España

læsus esset. Nonnulla portio ad ærarium publicum, in vehementer odiosis nonnihil etiam ad delatorem. Verum hoc odii non privato cuiusquam affectu, sed Reip. commodo, aut incommodo metiendum.

Illuc in universum spectent leges, ne cui fiat iniuria, nec pauperi, nec diviti, nec nobili, nec obscuro, nec servo, nec libero, neque magistratui, nec privato. Verum in hanc partem magis propendeant, ut imbecillioribus subveniatur, quod humiliorum fortuna magis exposita sit iniuriis. Quod igitur in fortunæ præsidiis diminutum est, id legum exæquet humanitas. Proinde acrius puniant violatum pauperem quam offensum divitem, corruptum magistratum, quam perfidum plebeium, facinorosum patricium, quam obscurum. Infimis minime nocendum.

Cum iuxta Platonem duplex sit pœnæ genus, in altero videndum est ne supplicium acerbius Pœna exemplo raro utendum.

© Biblioteca Nacional de España

sit, quam pro re commissa, ideoque non erit temere ad ultimum supplicium veniendum. Neque facinoris ratio nostris erit æstimanda cupiditatibus, sed æquo atque honesto. Cur enim passim simplex furtum capite punitur, & adulterium pœnæ impunitum est? idq; contra veterum omnium leges? nisi quod apud omnes minimum in precio est pecunia? & huius iacturam, non ex re, sed ex suo metiuntur animo? Cur autem hodie minus sæviatur in adulteros, in quos olim vehementer sæviebant leges, non est huius loci rationem reddere.

Ad alterum genus, quod ille vocat exempli, perquam raro veniendum erit, nec tam agendum ut immanitate pœnæ deterreantur cæteri, quam novitate. Nihil est enim tam horrendum, quod non contemnatur assuetudine. Nec aliud inutilius, quam cives supplicijs assuescere. Ut in morbis non sunt tentanda nova remedia, si

veteribus ſuccurri malo poſſit, ut non ſunt condendæ novæ leges, ſi veteres miniſtrent aliquid, quo malis Reip. medearis. Leges inutiles ſi ſine magno malo non queant abrogari, paulatim ſunt antiquandæ, aut certè corrigendæ. Nam ut periculoſum eſt temere novare leges, ita neceſſe eſt ut curationem pro corporum ratione, ſic leges ad præſentem Reip. ſtatum accommodare. Quædam ſalubriter inſtituta ſalubrius abrogantur.

Abuſus legum etiam bonarum.

Multæ leges recte quidem ſunt inſtitutæ, ſed eas officiorum pravitas ad peſſimos uſus detorſit. Nihil autem pernicioſius bona lege ad malas res deflexa. Ab his igitur tollendis, aut emendandis non oportet Principem fiſci iactura deterreri. Nec enim compendium eſt cum honeſti diſpendio coniunctum, maxime cum ſint eius generis, ut plauſibilis etiam ſit earum abrogatio. Neque vero ſibi blandiatur, ſi leges huiuſmodi

© Biblioteca Nacional de España

compluribus in locis invaluerunt, ut diutina iam consuetudine inveteratæ sunt. Nec enim hominum numero constat honesti natura. & hoc diligentius est tollendum, quo magis inveteravit malum.

Et ut unam atque alteram exempli gratia commemorem, receptum est nonnullis in locis ut peregre mortui bona occupet præfectus aliquis regis nomine, id cum salubriter sit institutum, nempe ne hospitis res sibi vindicent, ad quos iure non pertinent, & tantisper sint in manibus præfecti, donec extent hæredes certi, nunc iniquissime huc detorrum est, ut sive extet hæres, sive non extet, hospitis bona ad fiscum pertineant.

Abusus bene conditarum legum.

Recte quondam institutum, ut quod apud furem deprehensum repertum esset rerum, id Princeps aut huius nomine magistratus occuparet, nimirum ob id, ne, si passim eas vindicandi ius esset, per fraudem

fraudem ad alienos dominos aberrent, verum simul atque constaret cuius essent, tum illi restituerentur. At nunc quidam quicquid apud furem compererint, id non minus suum esse ducunt, ac si ex paterna hæreditate obvenisset.

Quod & ipsi satis intelligunt impudenter iniquum esse, sed honesti ratio, lucri ratione vincitur.

De portoriis.

Olim bono consilio fuit inductum ut in confiniis ditionum essent præfecti, qui importationum aut exportationium curam agerent, nimirum quo negotiator, aut viator tutus à latrociniis commearet, ut siquid cui foret ereptum, Princeps intra suæ quisque ditionis limites curaret uti nec damno plecteretur negotiator, nec prædo esset impunitus. Et fortasse tum civilitatis gratia dari cœptum est nonnihil à negociatoribus. At nunc passim huiusmodi portoriis retinetur viator, vexantur hospites, expilantur negotia-

© Biblioteca Nacional de España

tores, & cum indies crescat exactio, tamen de tuendis illis nulla mentio est. Ita cuius gratia primum constitutio nata fuit, penitus sublatum est, & res salubriter instituta vitio administrantium prorsus in tyrannidem versa est.

De naufragio ejectis.

Constitutum est olim ut res naufragio ejectæ præfecto maris occuparentur, non ut in illius, aut in Principis ius caderent, sed ut per hos caveretur ne ab iniustis dominis occuparentur, & ita demum publicæ fierent, si nullus extaret, qui iure vindicaret. At hodie quibusdam in locis quicquid quocunque modo periit in mari, id veluti suum occupat præfectus, ipso mari immitior. nam quod tempestas reliquum fecit miseris, id ille velut altera tempestas eripit.

Leges depravatæ in diversum exierunt.

Vide igitur ut omnia in diversum exierint. Fur punitur, quod rem alienam occuparit. atqui idem facit magistratus, in hoc adhibitus, ne fieret, & per hunc bis spo-

© Biblioteca Nacional de España

ſpoliatur dominus rei, in hoc ipſum conſtitutum, ne quid cui periret. & per hos maxime vexantur, ac ſpoliantur negotiatores, qui hoc conſilio ſunt inducti, ne vexaretur aut ſpoliaretur viator. Et per hos fit ne bona redeant ad iuſtum dominum, quos lex in hoc adhibuerat, ne penes alienum dominum eſſent. Sunt huiuſmodi plurimæ conſtitutiones apud multas nationes non minus iniquæ, quam ipſa iniquitas, verum non eſt huius inſtituti Remp. ullam taxare. Has ut omnium fere communes, & omnium iudicio damnatas docendi gratia recenſuimus. Et ſunt fortaſſe quæ citra tumultum antiquari non poſſint. At horum antiquatio favorem etiam conciliat Principi, &, qua nullum lucrum oportet videri maius, honeſtam opinionem.

Ut Principe, ſic lege nihil oportet eſſe communius, aut æquius. Alioqui fit ut quod egregie græcus ille ſapiens dixit, nihil

© Biblioteca Nacional de España

aliud ſint leges, quam caſſes aranearum, quos maiores aves facile perrumpunt, muſcis duntaxat irretitis.

Quemadmodum Princeps, ita & lex ſemper eſſe debet propenſior ad ignoſcendum, quam ad puniendum, ſive quod per ſe benignius, ſive quod magis reſpondet ad mores Dei, cuius ira lentiſſime ad vindictam procedit, ſive quod non recte elapſus ad pœnam repeti poteſt, iniuſte damnato ſuccurri non poteſt. Is etiamſi non periit, quis tamen alterius æſtimabit dolorem?

Crimen læ ſæ maieſtatis publico commodo metiendum.

Legimus olim huiuſmodi fuiſſe non Principes, ſed tyrannos, à quorum factis oportet Chriſtianum Principem quam longiſſime abeſſe, qui ſcelera commiſſa ſuis privatis incommodis æſtimarent, ut iis leve furtum eſſet, ſiquis pauperculum bonis nudatum una cum uxore & liberis ad laqueum, aut mendicitatem adigat, graviſſimum vero & multis dignum

cruci-

© Biblioteca Nacional de España

crucibus, si quis Principalem fiscum, aut rapacem quæstorem vel nummulo fraudasset. Item maiestatem læsam clamitarent, siquis de pessimo quoque Principe mutiret, aut de pestilente magistratu paulo liberius loqueretur. cum Adrianus Imperator ethnicus, alioqui nec inter bonos habendus Principes læsæ maiestatis crimen nunquam admiserit, & ne crudelissimus quidem Nero delationes huiusmodi admodum affectarit. Et alius quidam, qui neglectis in totum huiusmodi criminibus dixerit in civitate libera linguas item liberas esse oportere.

Nullis igitur commissis facilius, ac libentius ignoscet bonus Princeps, quam quæ ad privatam suam iniuriam pertinent. Nam cui facilius est eiusmodi contemnere, quam Principi? At huic ulciscí quam facile est, tam est invidiosum & indecorum. Cum enim ultio pusilli & humilis animi sit argumentum, nihil minus competit

© Biblioteca Nacional de España

petit in Principem, quem oportet animo esse excelso, magnoque.

Non satis est Principem ab omni crimine abesse, ni criminis etiam suspicione, specieque vacaverit. Quamobrem non solum perpendet quid mereatur is, qui deliquit in Principem, sed quid alii iudicaturi sint de Principe, & suæ dignitatis respectu nonnunquam ignoscet immerenti, & suæ consulens famæ veniam dabit venia indignis.

Neque statim illud occlamet aliquis hac ratione parum consuli Principum maiestati, quam sacrosanctam, & inviolatam esse è Rep. potissimum est. Immo non alia via rectius consulitur illius magnitudini, si populus intelligat eum tam vigilantem, ut nihil eum fallat, tam sapientem, ut intelligat quibus in rebus sita sit vera Principis maiestas, tam clementem, ut nihil suarum iniuriarum ulturus sit, nisi cogeret utilitatis publicæ ratio. Cæsaris Augusti maiesta-

ieſtatem & clariorem, & tutiorem reddidit Cynnæ donata venia, cum tot ſuppliciis nihil profeciſſet.

Princeps ſe cum toto populi corpore conferat.

Is demum Principis maieſtatem lædit, quiſquis id imminuit, quo vere magnus eſt. At animi bonis magnus eſt, & populi rebus ſua ſapientia florentibus magnus eſt. Hæc qui deterit, maieſtatis eſt accuſandus. Plurimum enim aberrant, nec prorſus intelligunt veram Principis maieſtatem, qui ſic eam putant augeri, ſi quam minimum valeant leges, & publica libertas, quaſi duæ quædam res ſint Princeps, & Reſp. Quod ſi facienda eſt collatio inter ea, quæ natura coniunxit, ne componat ſe rex cum quolibet ſuorum, ſed cum univerſo Reip. corpore, ita videbit quanto pluris ſit illa tot egregios viros ac fœminas complectens, quam unicum Principis caput. Reſp. etiamſi Princeps deſit, tamen erit Reſp. Floruerunt enim etiam ampliſſima imperia nullo

Principe,

© Biblioteca Nacional de España

Principe, velut in Democratia Romanorum, & Athenienſium. At Princeps eſſe nullo modo poteſt ſine Rep. Denique Reſp. Principem complectitur, non contra. Quid eſt enim quod Principem tantum facit, niſi conſenſus obſequentium? At qui ſuis bonis, hoc eſt virtutibus magnus eſt, is etiam adempto imperio magnus erit.

Vera proditio principis.

Proinde palam eſt iſtos perverſiſſime iudicare, qui Principis dignitatem his rebus metiuntur, quę Principis amplitudine ſunt indignæ. Proditorem vocant. nam id vocabulum odioſiſſimum eſſe volenti, qui Principem ad ea deflectentem, quæ nec ipſi decora ſunt aut tuta, nec patriæ conducibilia, liberis conſiliis ad meliora revocat. At qui illum plebeiis opinionibus corrumpit, qui in voluptates ſordidas, qui in comeſſationes, in aleam, & alia id genus dedecora præcipitat, num is dignitati Principis conſulit? Fidem

vocant.

© Biblioteca Nacional de España

vocant, quoties per assentationem stulto Principi mos geritur, proditionem, siquis turpibus cœptis obsistat. Immo nemo minus amicus est Principi, quam qui turpiter assentando dementat, & abducit à recto, qui bellis involuit, qui persuadet expilationes populi, qui tyrannidis artem docet, qui illum bonis omnibus facit invisum. Hæc est vera proditio, & non uno supplicio digna.

Plato vult νομοφύλακας, hoc est, qui servandis legibus præfecti sunt, incorruptissimos esse. Et bonus Princeps in nullos debet severius animadvertere; quam in eos, qui corrupte leges administrant. Quanquam ipse Princeps νομοφυλάκων primus est.

Expedit igitur ut leges sint quampaucissimæ, deinde quam æquissimæ, & ad publicam utilitatem conducibiles, præterea populo quam maxime notæ, unde veteres eas in tabulis & albo descriptas publicitus exhibebant, quo

paucæ leges optimæ & apertissimæ.

quo cunctis essent conspicuæ. Fœdum est enim quosdam legibus cassium uti vice, nimirum hoc agentes, ut quam plurimos irretiant, non consulentes Reipub. sed veluti prædam captantes. Postremo ut verbis apertis, minimeque perplexis descriptæ, ut ne magnopere sit opus quæstuosissimo isto hominum genere, qui se iureconsultos vocant, & advocatos, quæ sane professio quondam optimatibus viris fuit peculiaris, & dignitatis habebat plurimum, lucri quam minimum, nunc & hanc corrupit quæstus nihil non vitians.

Plato negat ullum hostem existere posse pestilentiorem patriæ, quam eum, qui leges arbitrio subiiciat hominis, quæ sub optimo Principe valent plurimum.

De Magistratibus, & officiis.

Magistratuum integritas.

PRinceps quam integritatem in se præstat, eandem debet, aut certe proximam à suis officiariis

riis exigere. Neque satis esse ducat mandasse magistratus, sed plurimum refert quomodo mandet, deinde vigilandum ut incorrupte mandatis fungantur.

Prudenter & graviter admonet Aristoteles frustra condi bonas leges, nisi sint quorum opera bene conditæ serventur, immo fit alioqui nonnunquam ut optime conditæ leges vitio magistratuum in summam Reip. perniciem vertantur.

Magistratus è senibus potissimum eligendi.

Quanquam magistratus non censu, non imaginibus, nec annis est eligendus, sed potius sapientia & integritate, tamen magis convenit ut natu grandes ad huiusmodi munia adhibeantur, unde Reip. pendet incolumitas. non tantum quod senibus & plus adest ex usu rerum prudentiæ, & affectus sunt moderatiores, verum etiam quod apud populum nonnihil auctoritatis illis concilier senectus. Proinde Plato vetat ne legum custodes adhibeantur minores annis quin-

© Biblioteca Nacional de España

quinquaginta, maiores ſeptuaginta. Sacerdotem non vult eſſe minorem annis ſexaginta. nam ut eſt ætatis maturitas quædam, ita eſt ætatis proceſſus, cui miſſio, muniumque omnium relaxatio debeatur.

Ordo civitatis aut regni res elegantiſsima.

Quemadmodum chorus res eſt elegans, ſiquidem ordine conſtet & harmonia, contra ridiculum ſpectaculum, ſi geſticulationes una cum vocibus confundantur: Ita præclara quædam res eſt civitas aut regnum, ſi ſuus cuique datur locus, ſi ſuo quiſque fungitur officio, hoc eſt ſi Princeps quod ſe dignum eſt, agit, ſi magiſtratus ſuas obeunt parteis, ſi plebes item bonis legibus, & integris magiſtratibus obtemperat. At ubi ſuum negotium agit Princeps, & magiſtratus nihil aliud quam compilant populum, ubi plebes non obtemperat honeſtis legibus, ſed Principi ac magiſtratibus utcunq; res tulerit, adulatur, ibi turpiſſima quædam rerum confuſio ſit

opor-

© Biblioteca Nacional de España

oportet. Primum ac ſummum Principis ſtudium oportet eſſe, ut quam optime mereatur de Rep. At non alia re melius poteſt mereri, quam ſi curet ut magiſtratus, & officia viris integerrimis ac publici commodi ſtudioſiſsimis committantur.

Princeps quid aliud eſt quam medicus Reip.? At medico non ſatis eſt ſi miniſtros habeat peritos, niſi ſit ipſe peritiſsimus ac vigilantiſsimus. Ita Principi non ſufficit, ſi magiſtratus habeat probos, niſi ſit ipſe probiſsimus, per quem illi & deliguntur, & emendantur. Princeps medicus Reip.

Ut animi partes non omnes perinde valent, ſed quædam imperant, aliæ parent, & tamen corpus tantum paret: Ita princeps ſumma Reip. pars, plurimum ſapere, & ab omnibus craſsis affectibus alieniſsimum eſſe oportet. At hunc proxime accedent magiſtratus, qui partim parent, partim imperant, parent Principi, imperant plebi. Ergo Princeps ſumma pars Reipub.

© Biblioteca Nacional de España

Magistratus pure creandi.

Ergo præcipue Reip. felicitas in hoc sita est, ut pure creentur magistratus, & pure mandentur officia. Deinde sit actio male gesti muneris, quemadmodum antiquis erat actio repetundarum. Postremo statuatur in hos severissima animadversio, si convicti fuerint.

Quando pure creantur magistratus.

Pure creabuntur magistratus, si Princeps eos asciscat, non qui plurimo emant, non qui improbissime ambiant, non qui cognatione coniunctiores, non qui ad illius mores, aut affectus, cupiditatesque maxime sint accommodi, sed qui moribus sint integerrimis, & ad functionem mandati muneris aptissimi.

Cæterum ubi Princeps unum hoc agit, ut quam plurimo vendat officia, quid tandem ab iis expectet, nisi ut itidem revendant, & quomodocunque damnum suum sarciant, & cauponentur in administrando, quemadmodum negotiatione sunt consecuti. Nec hoc ideo minus pernicioſum Reip. videri

© Biblioteca Nacional de España

deri oportet, quia consuetudine pessima apud pleraſque nationes receptum est, cum ethnicis etiam fuerit improbatum, & Cæsareæ leges iubeant eos, qui iudiciis præsunt, Principali salario esse invitandos, nequa sit illis ansa faciendi quæstus.

Olim gravissimum erat crimen corrupti iudicii. At qua fronte puniet Princeps iudicem, qui muneribus corruptus pronuntiavit, aut pronuntiare noluit, cum ipse iudicandi munus ære vendiderit, & hanc corruptelam prior suum docuerit iudicem? Hoc præstet Princeps erga magistratus, quod illos præstare vult erga plebem. Corruptus iudex.

Prudenter admonet in Politicis Aristoteles super omnia cavendum esse, ne ex magistratibus lucra proveniant iis, qui ea gerunt. Alioqui geminum incommodum hinc sequi. Nam primum hac ratione fieri ut avarissimus quisque, & corruptissimus ambiat, immo occupet & invadat magistratum, & po-

© Biblioteca Nacional de España

& populus duplici discrucietur molestia, tum quod ab honoribus excluditur, tum quod lucro privatur.

De Fœderibus.

Debeat esse quis fœderum scopus.

IN pangendis fœderibus quemadmodum & cæteris in rebus, non alio spectabit bonus Princeps, quam ad publicam utilitatem. Alioqui cum hoc agitur ut commodius habeant Principes populi rebus attenuatis, non fœdus est appellandum, sed conspiratio. Si quidem qui hoc sunt animo, duos populos ex uno faciunt, procerum & plebis, quorum alter alterius malo melius habeat, verum id ubi fit, ibi non est Resp. Inter omnes Christianos Principes arctissimum simul, & sanctissimum fœdus est vel ob hoc ipsum, quod Christiani sunt. Quorsum igitur attinet quotidie tot fœderibus agere? perinde quasi omnes omnium sint hostes, & humanis pactis sit impetrandum, quod

© Biblioteca Nacional de España

quod non impetrat Chriſtus? Ubi multis ſyngraphis res agitur, argumentum non optima agi fide. & ſæpenumero fieri videmus ut ex his plurimæ naſcantur lites, quæ in hoc adhibebantur, ne quid exiſteret litium. cum fides intercedit, & inter bonos agitur, non eſt opus admodum multis & anxiis ſyngraphis; cum inter improbos, & malæ fidei homines res agitur, ſyngraphæ pariunt etiam litis materiam. Itidem inter bonos, ac ſapientes Principes, etiam ſi nullum intercedat fœdus, conſtat amicitia. Inter ſtultos ac malos ex ipſis fœderibus, quæ in hoc adhibebantur ne bellum exoriretur, bella naſcuntur, dum inter innumeros articulos hunc, aut illum violatum queritur aliquis.

Fœdus in hoc feriri ſolet, ut bello finis imponeretur. At hodie fœdus appellant in hoc initum, ut moveatur bellum. Nec aliud eſt iſtorum fœderatio, quam belli mollimina. Et utcunq; ſe resinclinant,

Fœdera incommode.

© Biblioteca Nacional de España

nant, ita ambulant fœdera.

Principum ea debet esse fides in præstandis iis, quæ recipiunt, ut simplex horum promissum sanctius sit quovis aliorum iureiurando. Quam igitur fœdum non præstari, quæ solennibus fœderibus pacta sunt, interpositis etiam iis rebus, quibus apud Christianos nihil potest esse sanctius? Et tamen videmus id quotidie usu venire, nihil addo, quorum vitio. Certe sine vitio non potest accidere.

Siquid in fœdere violatum videbitur, non statim huc inclinandum ut universum fœdus irritetur, ne videatur occasio captata recedendi ab amicitia. Quin magis adnitendum ut quam minimo incommodo sarciatur id, quod ruptum est. Quin expedit aliquoties ad quædam connivere, quandoquidem nec inter privatos homines diu cohæret necessitudo, si cuncta ad vivum, quod aiunt, exigant. Neque statim id sequaris,

quod

© Biblioteca Nacional de España

uod dictat ira, ſed quod publica
uadet utilitas,

Dabit operam bonus ac ſapiens rinceps ut cum omnibus pacem abeat, ſed præcipue tamen cum nitimis, qui plurimum noceant ufenſi, proſint amici, & ſine quo- um mutuo commercio ne durare uidem poſſit Reſp. Et facile coit cohæret amicitia inter eos, uos lingua communis, regionum ropinquitas, ingeniorum ac mo- m ſimilitudo conciliat. Eſt tan- inter quaſdam nationes rerum nium diſſimilitudo, ut prorſus illorum abſtinuiſſe commercio uge conſultius ſit, quam arctiſ- is etiam aſtringi fœderibus. ut quædam ita procul diſſitæ, etiam ſi bene velint, prodeſſe hil poſſint. Poſtremo ſunt quæ- m adeo moroſæ, ac fœdifragæ, inſolentes, ut etiam ſi finitimæ t, tamen inutiles ſint ad o- nem amicitiam. Cum his con- tiſſimum fuerit nec bello diſſi- re, nec arctioribus fœderum, Cum finitimis habenda par.

© Biblioteca Nacional de España

aut affinitatum vinculis alligari quod & bellum ſemper ſit exitiale, & quorundam amicitia non multo bello tolerabilior.

Princeps omnium ingenia gentium habeat perſpecta, & conſuetudines cognitas.

Hæc erit igitur una regiæ ſapientiæ pars, gentium omnium ingenia, moreſque cognoſcere, ic partim è libris, partim è ſapientum & expertorum commemoratione conſequetur, ne ſibi neceſſe putet cum Ulyſſe per omnes terras, mariaque circumagi. Ac de cæteris quidem haud facile ſit certum aliquid præſcribere. Illud in genere licet pronuntiare, non oportere arctius aſtringi his, quos religio diverſa à nobis alienat, veluti cum ethnicis, aut quos naturæ providentia Alpibus, aut fretis interiectis à nobis ſeparat, aut quos immenſum locorum ſpatium penitus à nobis ſemovit, hi nec ad nos accerſendi, nec à nobis impetendi ſunt. cuius rei cum plurima ſupperatur exempla, tamen unum, quod è proximo ſeſe offert, pro omnibus ſuffecerit. Eſt quidem

Frau-

Franciæ regnum rebus omnibus omnium multo florentiſſimum. At multo eſſet florentius, ſi ab Italia impetenda temperaſſet.

De Principum affinitatibus.

EQuidem multo ſaluberrimum iudicarim Reip. ſi Principum affinitates intra regni fines continerentur, aut ſiquid recedendum ſit à limitibus, cum proxime finitimis duntaxat iungerentur, ſed iis, qui ad amicitiæ fidem ſint idonei. Atqui non decet (inquiunt) regis filiam niſi cum rege, aut regis filio copulari. At iſti privatorum ſunt affectus, ſuos quantum poſſint evehere, à quibus oporter Principem alieniſsimum eſſe. Minus potenti nubet Principis ſoror, quid tum poſtea, ſi id magis expediat univerſis? Et illi plus dignitatis, afferat neglecta ſororii coniugii dignitas, quam ſi mulierculæ affectum publicis commodis præruliſſet.

Princeps affinitatem cum ſuis aut ſitu proximis iungat.

© Biblioteca Nacional de España

Qualis uxor sit ducenda Principi.

Privata quædam res est Principum matrimonium. At huc rerum humanarum summam pene vocari cernimus, ut sæpenumero nobis eveniat, quod olim Græcis ac Troianis in Helena. Quod si placet adhibere delectum Principe dignum, seligatur ex omnibus integritate, modestia, prudentiaque commendata, quæ optimo Principi morigera sit uxor, & illi liberos utroque parente, patriaque dignos generet. Satis honesta est quocunque sanguine nata, quæ bono Principi bonam præstat uxorem.

Illud in confesso est, nihil æque expedire in rem omnium, atque ut Princeps vehementer amet suos, & ab iisdem vicissim ametur. Ad quos ingens habet momentum patria communis, corporum & animorum similitudo, & nescio quid nativæ fragrantiæ, quam arcana quædam geniorum affinitas addit. At hinc magna pars pereat oportet, si hæc omnia confun-

© Biblioteca Nacional de España

confundant imparia matrimonia. Vix enim fieri poteſt, ut ſic natos toto pectore agnoſcat patria, aut ſic nati toto pectore ſint dediti patriæ.

Et tamen vulgus hæc velut adamantina publicæ concordiæ vincula putat, cum hinc res ipſa doceat maximos rerum humanarum tumultus exoriri, dum hic queritur ex ſponſalium pactis præteritum neſcio quid, hic offenſus re quapiam ſponſam abducit, illemutato conſilio renuntiat priori, & aliam ducit in thalamum, alius aliud quippiam cauſatur. Sed quid hæc ad Remp.? Si Principum inter ſe affinitas præſtaret orbi tranquillitatem, optarem omnes ſexcentis affinitatibus eſſe colligatos. At quid ante paucos annos profuit affinitas, quo minus Iacobus Scotorum rex infeſtis copiis invaderet Angliæ fines? Et fit aliquoties ut poſt diutinos bellorum tumultus, poſt innumeras clades tandem affinitate contracta, res compona- Ex affinitatibus mala.

© Biblioteca Nacional de España

tur, ſed utraque parte iam malis delaſſata.

Illud agendum Principibus, ut æterna quædam pax coëat inter omneis, & in hoc conferant ſua conſilia, vt affinitas pacem conciliet, certe perpetuam non poteſt. altero defuncto, ſolvitur concordiæ vinculum. Quod ſi veris rationibus pax conflaretur, ea ſtabilis eſſet ac diuturna. Sed dixerit aliquis, liberorum propagatione coniunctionem eam perpetuam reddi. Cur igitur inter hoc maxime bellatur, inter quos ſumma propinquitas eſt? Immo per hanc propagationem potiſſimum oritur regnorum commutatio, dum ditionis ius aliunde alio transfertur, dum huic decedit aliquid, & illi accreſcit, quibus ex rebus graviſſimi tumultus exoriri ſolent.

Igitur hiſce rationibus non fit ne cooriantur bella, ſed fit ut atrociora moveantur, & crebriora. Dum enim regna regnis affinitate conne-

© Biblioteca Nacional de España

connexa sunt, quoties unusquispiam offensus est, is affinitatis iure concitat & cæteros, ut ex qualibet levi offensa magna pars orbis Christiani statim ad arma moveatur, & immensa Christiani sanguinis iactura placatur unius hominis stomachus. Ab exemplis consulto tempero, nequid offendam quenquam. In summa, huiusmodi affinitatibus Principum res fortassis augentur, at populi res atteruntur, & affliguntur. Cæterum bonus Princeps non aliter iudicat suas res prospere habere, nisi cum Reip. commoditatibus consulitur. ut ne dicam interim quod hac via non admodum humaniter agitur cum ipsis puellis, quæ nonnunquam in procul semotas regiones ad homines lingua, specie, moribus, ingeniis dissimillimos velut in exilium relegantur, felicius apud suos victuræ, ut aliquanto minore stipitu. Quanquam autem hanc consuetudinem video receptiorem

© Biblioteca Nacional de España

quam ut ſperem poſſe convelli, tamen viſum eſt admonere, ſiquid forte præter ſpem evenerit.

De Principum occupationibus in Pace.

Princeps populum ſuum amet.

PRinceps igitur Chriſti decretis, & ſapientiæ præſidiis inſtructus nihil omnium habebit carius, immo nihil aliud habebit carum, quam populi ſui felicitatem, quem oportet velut unicum corpus ex æquo tum diligere, tum curare. Et in hoc unum omneis cogitationes, omneis conatus, omnia ſtudia deſtinabit, ut ad eum modum adminiſtret provinciam ſibi creditam, ut & Chriſto rationem exacturo probetur, & apud mortales omneis honeſtiſſimam ſui memoriam relinquat,

Sive domi ſit Princeps, aut in ſeceſſu, laudatum illum Scipionem imitetur, qui negabat ſe unquam minus eſſe ſolum, quam cum ſolus eſſet, aut minus otioſum

© Biblioteca Nacional de España

otiosum esse, quam cum esset in otio, quod is quoties vacaret à Reip. negociis, semper animo secum agitabat aliquid, quod ad civitatis salutem aut dignitatem pertineret. Imitetur Aeneam Virgilianum, quem prudentissimus poëta frequenter aliis dormientibus multa per noctem suo cum animo volventem facit, quo rectius suis consuleret. Et Homericum illud omnibus regiæ parietibus, sed magis regum animis inscribi decet.

ἀχρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
ᾧ λαοί τ' ὀπιτέτραφται, καὶ τόσσα μέμηλε.

Quorum carminum hæc ferme sententia est.

Haud decet hunc solidam noctem indulgere sopori,
Cui populi commissi, & tanta negocia curæ.

Sive versetur in publico, semper aliquid agat, quod ad rem communem faciat, hoc est nusquam non principem agat.

At magis decet Principem in

© Biblioteca Nacional de España

Non laudandum Principi.

publicis versari functionibus, quã abditum agere. Quoties autem prodit, advigilet ut ipse vultus, incessus, & præcipue sermo talis sit, ut populum reddat meliorem, memor quicquid fecerit, aut dixerit, ab omnibus observari, cognoscique. Nec enim probarum est sapientibus viris Persarum institutum, apud quos domi abditi vitam exigebant. Et hac una via studebant à suis magnifieri, quod nunquam conspicerentur, & rarissime sui copiam facerent populo. Quod si quando prodibant, nihil aliud, quam fastum barbaricum, & opes malo populi immodicas ostentabant. Reliquum ævum aut lusibus, aut furiosis expeditionibus transigebant, perinde quasi deesset quod pacis temporibus agat egregius Princeps, cum tanta semper pareat pulcherrimorum facinorum seges, si modo adsit Principe dignus animus.

Reges Persarum publico abstinebant.

Et sunt hodieque nonnulli, qui putent id esse parum regium, quod solum

ſolum eſt regibus pulcherrimum, in publicis functionibus verſari. Quemadmodum & epiſcopi nonnulli nihil minus ſuum eſſe ducunt, quam id quod unum epiſcopo dignum eſt, docere populum, ac miro cõſilio quod peculiare eſt epiſcoporum, id veluti dignum in alios relegant, quod ſordidiſſimum, id ſibi potiſſimum vindicant. At non puduit Mithridatem non minus eruditione quam imperio nobilem regem ſuo ore, nulloque interprete populo ius reddere, quod ut faceret viginti duas linguas ad plenum legitur perdidiciſſe. Nec Philippus Macedonum rex parum decorum regi iudicavit, quod quotidie cognoſcendis cauſis ſederet. Nec Alexander magnus huius filius, quanquam aliâs ad inſaniam uſque ambitioſus, cui morem hunc fuiſſe proditum eſt, ut altera aure manu obturatâ cognoſceret, dicens ſeſe alteram illam integram ſervare diverſæ parti.

In publicis verſari functionibus regi pulcherrimum.

Ve-

Curà publicis functionibus & cognoscendis causis abhorreant Principes.

Verum quo magis ab hiſce rebus abhorreant nonnulli, perverſa educatio Principum in cauſa eſt. Etenim iuxta vetus proverbium, quam quiſque novit artem, in hac ſe libenter exercet, refugiens ab iis, in quibus intelligit ſe parum valere. Qui fiat igitur, ut qui inter aſſentatores & mulierculas primum paucis opinionibus, deinde voluptatibus corruptus primos illos annos in alea, choreis, & venatu conſumpſerit, poſtea gaudeat in his verſari functionibus, quarum uſus diligentiſſimam requirebat meditationem?

Principi nunquam deeſt quod agat.

Homerus negat Principi tantum eſſe otii, ut totam noctem dormiat, & iſti nihil aliud ſtudent, niſi ut novis ſubinde voluptatibus totius vitæ tædium fallant, perinde quaſi nihil omnino ſit, quod agant Principes. Bono patrifamilias nunquam deeſt, quod curet in una domo, & Principi deeſt, quod agat in tam vaſta ditione?

Bonis legibus occurrendum eſt malis

© Biblioteca Nacional de España

malis moribus, corrigendæ leges depravatæ, tollendæ malæ, prospiciendi magistratus integri, puniendi aut cohibendi corrupti. Exquirendæ rationes, quibus tenuem plebeculam quã minimum graver, quibus ditionem suam latrociniis ac maleficiis liberet, idque quam potest minimo sanguine, quibus suorum perpetuam concordiam alat, ac stabiliat. Sunt his minutiora quædam, sed non indigna, quamvis magno Principe, lustrare civitates, sed hoc animo, ut omnia reddat meliora, quæ parum tuta sunt communiat, publicis ædificiis ornet, item pontibus, porticibus, templis, ripis, aquæductibus, loca pestilentiæ obnoxia purget vel mutatis ædificiis, vel desiccatis paludibus: Amnes incommode fluentes alio derivet: Mare pro commoditate publica vel admittat, vel arceat. Neglectos agros colendos curet, quo magis supperat annonæ vis. Parum utiliter cultos aliter coli iubeat,

Quid agendum principi.

© Biblioteca Nacional de España

beat, velut ne illic vineta sint, bi vinum cultura indignum pr venit, & frumenta gigni possun Huius generis sex millia sunt, qu curare Principi sit pulcher mum, bono Principi etiam i cundum, ut nihil unquam sit op vel otii tædio bellum quærere, v alea fallere noctem.

Princeps in Reip. rebus sit spendidus, in privatis frugalis.

In his, quæ ad Remp. pert nent, convenit Principem esse n luxuriosum, aut profusum, s splendidum, velut in publicis æc ficiis, aut ludis, in excipiendis l gationibus, si quæ populi causa agant. In his, quæ privatim illum pertinent, erit frugalior contractior, partim ne publi sumptu sibi vivere videatur, p tim ne cives suos luxuriè docea multorum malorum parentem.

Dandæ Principi opera non ut maiorem, sed ut meliorem ditionem suam reddit.

Video veterum permultos hoc errore fuisse, & utinam hoc nullos idem habeat error, ut h omneis conatus suos intenderei non ut meliorem redderent sua ditionem, sed ut maiorem, qu

© Biblioteca Nacional de España

bus illud sæpenumero videmus evenisse, ut dum propagando student imperio, etiam id perderent, quod possederant. Non ab re tantopere laudata est illa Theopompi vox, qui negavit sua referre quam ingens relinqueret liberis suis imperium, modo melius ac stabilius. Et Laconicum illud proverbium dignum mihi videtur, quod omnium Principum insignibus asscribatur. σπάρταν ἔλαχες, ταύτην κόσμει, hoc est Spartam sortitus es, hanc orna.

Hoc sibi penitus persuasum habeat bonus Princeps, nihil à se geri posse magnificentius, quam si quicquid est hoc regni, quod sors dederit, florentius reddat, ac modis omnibus ornatius. Laudatus est à doctissimis viris Epaminundæ ducis animus, cui cum per invidiã magistratus esset delegatus, humilis ac vulgo contemptus ita gessit, ut deinceps inter honestissimos habitus à maximis viris ambiretur, negans magistratum digni- Epaminundas.

© Biblioteca Nacional de España

dignitatem afferre viro, ſed virum magiſtratui.

Quo pacto regnum florentius reddatur.

Id conſequetur, ſi, quemadmodum ex parte demonſtravimus, eas res curet maxime, per quas Reſp. ſtabilitur & illuſtratur, eas rurſus excludat, & arceat, quæ Reip. ſtatum reddunt deteriorem. Adiuvatur enim maxime boni Principis exemplo, ſapientia, vigilantia, magiſtratuum & officiorum integritate, ſacerdotum ſanctimonia, iudimagiſtrorum delectu, æquis legibus, & ad virtutem conducentibus ſtudiis. In his igitur augendis & confirmandis ſit omnis boni Principis cura. Lædituur autem diverſis, quæ facilius excludentur à Rep. ſi ſtirpes ipſas ac fontes conabimur tollere primum, unde hæc naſci deprehendimus. In huiuſmodi rebus ſollicitum & ingenioſum eſſe, Chriſtiani Principis eſt Philoſophia. In hæc ſalubriter conſpirare, in hæc ſua ſimul conferre conſilia, id demum Chriſtianis dignum Principibus.

Quem

© Biblioteca Nacional de España

Quemadmodum corpora cœleſtia, ſi vel paululum tumultuentur, aut recto curſu divarient, non ſine gravi rerum humanarum pernicie id faciunt, id quod palam videmus in defectibus ſolis ac lunæ: ita ſummi Principes, ſi quid aberrent ab honeſto, aut ſiquid ambitione, ira, ſtultiave peccent, id protinus ingenti totius orbis malo faciunt. Nec enim ulla unquam eclipſis ſic afflixit hominum genus, ut Iulii Pontificis, & Lodovici Galliarum regis diſſidium, quod nuper & vidimus, & flevimus. ὁμοίωσις.

De Bello ſuſcipiendo.

CUm nuſquam oporteat Principem præcipiti eſſe conſilio, tum haud alibi cunctantior erit aut circumſpectior, quam in ſuſcipiendo bello, quod aliis ex rebus alia naſcantur incommoda, ex bello ſemel omnium bonarum rerum naufragium oriatur, omnium malarum rerum pelagus exunder. Cunctanter & circumſpecte ſuſcipiendum bellum.

Deinde

© Biblioteca Nacional de España

Deinde quod non aliud malum hæret tenacius, bellum è bello ferítur, è minimo maximum, ex unico geminum, ex ludicro ferium & cruentum naſcitur, & alibi nata belli peſtis in proximos etiam, immo in procul etiam diſſitos propagatur.

Quando tandem ſuſcipiendum bellum.

Bonus Princeps nunquam omnino bellum ſuſcipiet, niſi cum tentatis omnibus nulla ratione vitari potuit. Hoc animo ſi fuerimus, vix unquam exiſtet inter ullos bellum. Denique ſi vitari non poteſt res tam peſtilens, tum proxima cura fuerit Principis ut quamminimo ſuorum malo, quamminimo Chriſtiani ſanguinis impendio geratur, & quam poteſt ocyſſime finiatur. Primum illud expendat Princeps vere Chriſtianus, quantum interſit inter hominem, paci ac benevolentiæ natum animal, & inter feras ac beluas, prædationi, belloque natas. Ad hæc, quantum interſit inter hominem, & hominem Chriſtianum.

Quæ ſint ante cogitanda Principi bellum ſuſcepturo.

© Biblioteca Nacional de España

num. Deinde contempletur, quam expetenda, quam honesta, quamque salutifera res sit pax. E diverso, quam calamitosa simul & scelerata res bellum, quantumque malorum omnium agmen secum trahat, etiam si iustissimum sit, si quod omnino bellum iustum vocari debet, postremo sepositis affectibus vel tantisper rationem in consilium adhibeat, dum vere supputarit, quanti constiturum sit bellum, & num id, quod bello denique petitur, tanti sit, etiam si certa sit victoria, quæ non semper optimæ causæ favere solet. Expende curas, sumptus, pericula, molestum & longum apparatum. Accersenda barbarica fex sceleratissimorum hominum, & dum Princeps erga Principem animosior videri vis, etiam data pecunia blandiendum ac serviendum militi mercenario, quo quidem hominum genere non est aliud vel abiectius, vel execrabilius. Nihil bono Principi carius, quam ut suos habeat

© Biblioteca Nacional de España

habeat quam optimos. At quæ maior aut præsentior morum pernicies, quam bellum? Nihil Principi magis in votis, quam ut suos incolumes, ac rebus omnibus florenteis videat. At dum bellare discit, iuventutem tot periculis obiicere cogitur, & una sæpe hora tot orphanos, tot viduas, tot orbos senes, tot mendicos, tot infelices reddit.

Non bellando quam mala res sit bellum, sed aliunde discat Princeps,

Nimio constabit orbi Principum sapientia, si quam tetra res sit bellum, pergant experimento discere, ut senex aliquando dicat: Non credebam bellum esse rem adeo pestilentem. Sed ô Deum immortalem, quam innumeris totius mundi malis istam didicisti sententiam! Intelliget aliquando inutile fuisse regni propagasse fines, & quod initio lucrum videbatur, summum fuisse detrimentum, sed interim tot hominum millia vel extincta sunt, vel afflicta. Hæc è libris potius discenda sunt, è commemoratione seniorum,

© Biblioteca Nacional de España

um, è finitimorum periculis. tot am annos ille aut ille Princeps ro tali ditione digladiatur. Quano plus incommodi fuit illic, quam commodi?

Eiuſmodi res inſtituet bonus Princeps, quæ perpetuo placeant. Quæ affectu ſumuntur, tantiſper probantur, donec eo tenemur affectu. At quæ iudicio ſuſcipiuntur, & iuveni placuerunt, eadem placebunt & ſeni. Verum id nuſquam magis obſervandum, quam in ſuſcipiendo bello.

Bellum inter Chriſtianos non bellum ſed ſeditio eſt.

Plato ſeditionem vocat non bellum, quoties Græci cum Græcis belligerarentur. idque ſi quando incidiſſet, modeſtiſſime iubet geri. Quonam igitur nomine vocandum cenſemus, quoties Chriſtiani cum Chriſtianis digladiantur tot vinculis inter ſeſe connexi? Quid, cum id ob titulum neſcio quem, ob privatum odium, ob ſtultam aut iuvenilem ambitionem, & crudeliſſime geritur, & in multos prorogatur annos?

Sic

Sic Principes quidam imponunt ſibi. Eſt omnino bellum aliquod iuſtum, & mihi cauſa iuſta eſt ſuſcipiendi. Primum an omnino iuſtum ſit bellum, in medio relinquemus. cui non videtur ſua cauſa iuſta? Et inter tantas rerum humanarum mutationes ac viciſſitudines, inter tot pacta fœderaque nunc inita, nunc reſciſſa cui poſſit deeſſe titulus, ſi qualiſcunque titulus ſatis eſt ad movendum bellum?

Chriſtus & Apoſtoli bellum ubique detestantur.

At Pontificię leges non improbant omne bellum. Et Auguſtinus alicubi probat. Laudat & divus Bernardus milites quoſdam. At Chriſtus ipſe, at Petrus, at Paulus ubique diverſa docent. Cur horum auctoritas minus apud nos valet, quam Auguſtini, aut Bernardi? Auguſtinus uno aut altero in loco bellum non improbavit. At tota Chriſti philoſophia dedocet bellum. Apoſtoli nuſquam non improbant. Atque illi ipſi ſancti doctores, à quibus volunt uno aut altero

altero loco probarum bellum, quoc locis idem improbant, ac deteſtantur? Cur his omnibus diſſimulatis captamus quod alat noſtra vicia? Poſtremo, ſiquis rem excutiat diligentius, is reperiet à nemine probatum hoc bellorum genus, quo nunc vulgo conflictamur.

Quædam artes ob hoc reiectæ ſunt à legibus, quod nimium affines eſſent impoſturæ, & plerunque dolo tractarentur, velut Aſtrologia, & Alchimiſtica, quam vocant, etiamſi fieri poteſt, ut aliquis hiſce rebus recte utatur. Id longe iuſtius fiat in bellis, quorum etiam ſi poſſit aliquod eſſe iuſtum, tamen ut nunc ſunt res mortalium, haud ſcio an ullum eiuſmodi reperire liceat, hoc eſt cuius auctor non ſit ambitio, aut ira, aut ferocitas, aut libido, aut avaritia. Sæpenumero fit ut proceres profuſiores quam pro re familiari, data opera bellum ſuſcitent, quo ſuorum etiam expilationibus

Cur à Principibus bella ſuſcipiantur.

nibus rem augeant domi. Fit aliquoties ut Principes inter se colludant, & fictis titulis rem gerant, quo magis attenuent populi vires, & publicis malis parteis suas stabiliant. Quapropter bonus & Christianus Princeps omne bellum quantumvis iustum suspectum habere debet.

At inculcant non esse ius deferendum. Primum istud ius magna ex parte ad privatum Principis negotium pertinet, siquid illi accrevit ex affinitate. Ut iniquum sit hoc tam immensis populi malis persequi, & dum nescio quam ditionis accessionem persequeris regnum universum expilare, & in extremum discrimen adducere. Offendit Princeps Principem in re levicula, eaque privata, nempe in affinitate aut alia simili, quid hoc ad universum populum?

Eundum ad arbitros si dissidium natum fuerit.

Omnia bonus Princeps publicis metitur commoditatibus, alioqui ne Princeps quidem fuerit. non idem est ius in homines, & in pecu-

© Biblioteca Nacional de España

pecudes. Bona pars imperii consensus est populi. ea res primo reges peperit. Quod si quod dissidium ortum fuerit inter Principes, cur non potius ad arbitros itur? Sunt tot Episcopi, tot Abbates, & eruditi viri, tot graves magistratus, quorum sententia rem confici decebat, potius quam tot stragibus, tot expilationibus, tot orbis calamitatibus.

Primum suspectum esse debet Christiano Principi suum ius, deinde si maxime constet, expendere oportet an tantis totius orbis malis sit vindicandum, qui sapiunt, malunt aliquoties rem perdere, quam persequi, quod hic perspiciant minus esse dispendii. Mallet (opinor) Cæsar concedere de iure suo, quam monarchiam illam veterem persequi, & ius illud; quod illi deferunt iure consultorum literæ.

At quid erit tutum (inquiunt) si nemo ius suum persequatur? Persequatur sane, si id expediat

© Biblioteca Nacional de España

Reip. modo ne nimio conſtet civibus ius principis. At nunc quid uſquam turum eſt, dum ſuum quiſque ius tam ad vivum perſequitur? Videmus bella ex bellis naſci, bella bellis ſuccedere, nec ullum tumultuandi modum, aut finem. Satis igitur conſtat hiſce rationibus nihil agi. Proinde diverſa tentanda remedia. Ne inter amiculos quidem conſtabit neceſſitudo, niſi alter alteri nonnunquam conceſſerit. Maritus ſæpe quædam condonat uxori, ne ſcindat concordiam. Bellum quid gignat, niſi bellum? At civilitas civilitatem invitat, æquitas æquitatem. Movebit & hoc Principem pium, & clementem, quod perſpiciat ex tam immenſis malis, quę bellum omne ſecum invehit, maximam partem ad eos redire, ad quos bellum nihil attinet, quique his calamitatibus ſunt indigniſſimi.

Quid cogitandum Principi bellaturo.

Poſteaquam Princeps universorum malorum ſubductis calculis ſummam

ſummam collegit (ſi tamen unquam colligi poſſit) tum ita ſecum cogitet. unus ego tot malorum auctor fuero? Tantum humani ſanguinis, tot viduæ, tot luctu funeſtæ domus, tot orbi ſenes, tot indigne egentes, tanta morum, legum, ac pietatis pernicies mihi uni imputabitur? Hæc mihi luenda Chriſto?

Non poteſt Princeps ulciſci hoſtem, niſi prius hoſtilia fecerit in ſuos. Expilandus populus, accipiendus miles, non ſine cauſa Maroni dictus impius. Excludendi cives ab hiſce regionibus, quibus antea ſuo bono fruebantur. Includendi cives, ut includas hoſtem. Et ſæpenumero fit ut atrociora committamus in noſtros, quam in hoſtem.

Bellum ſumptuoſius pace.

Ut difficilius, ita pulchrius eſt extruere præclaram civitatem, quam demoliri. Videmus autem ab idiotis & privatis condi florentiſſimas urbes, quas Principum ire demoliuntur. Et ſæpenumero ma-

© Biblioteca Nacional de España

iore negotio & impensa demolimur oppidum, quam aliud novum condi poterat, ac bellum tanto sumptu, tanto dispendio, tanto studio, curaque molimur, ut decima earum rerum portione pax constare potuerit.

Eam gloriam semper affectet bonus Princeps, quæ sit incruenta, & cum nullius coniuncta malo? In bello ut optime res eveniat, tamen alterius partis felicitas, alterius est pernices. Sæpenumero fiet & victor nimio emptam victoriam.

Abstinendum à bellis vel ob Christiani nominis honorem.

Si non movet nos pietas, si non orbis calamitas, certe moveat honos Christiani nominis. Quid censemus loqui de nobis Turcas, & Saracenos, cum videant tot iam sæculis adeo nihil convenire inter ullos Principes Christianos? Nullis fœderibus cohærere pacem? Fundendi sanguinis nullum esse modum? & minus esse tumultus inter ethnicos, quam inter eos, qui ex Christi doctrina sum-

© Biblioteca Nacional de España

ſummam profiteantur concordiam?

Quam fugax, quam brevis, quam fragilis eſt hominum vita, & quot obnoxia calamitatibus, quippe quam tot morbi, tot caſus impetunt aſſidue, ruinæ, naufragia, terræmotus, fulmina. Nihil igitur opus bellis acceiſere mala, & tamẽ hinc plus malorum quam ex omnibus illis.

Officio concionatorum.

Concionatorum partes erant diſſidiorum affectus ex animis vulgi penitus revellere. Nunc fere Gallum odit Anglus non ob aliud, niſi quod Gallus eſt, Anglum Scotus, tantum quia Scotus eſt, Germanum Italus, Elvetium Suevus, atque item de cæteris. regio regioni inviſa, civitas civitati. Cur hæc ſtultiſſima nomina magis nos diſtrahunt, quam conglutinat omnibus commune Chriſti vocabulum?

Sacerdotum partes.

Ut donemus aliquod bellum eſſe iuſtum, tamen quoniam videmus in hanc peſtem inſanire

© Biblioteca Nacional de España

mortales omneis, ſacerdotum prudentię fuit in diverſam partem avocare plebis ac Principum animos. Nunc videmus hos nonnunquam eſſe belli faces. Non pudet epiſcopos verſari in caſtris. Illic crux, illic Chriſti corpus, & cum re pluſquam tartarea miſcent cœleſtia ſacramenta, & in tam cruento diſſidio adhibent ſummæ charitatis ſymbola. Quodque magis eſt abſurdum, in utriſque caſtris adeſt Chriſtus, velut ipſe ſecum pugnans. Non ſat erat inter Chriſtianos tolerari bellum, niſi ſummus etiam haberetur honos?

A bellis deterreut euangelia.

Si non tota undique Chriſti doctrina cum bello pugnat. ſi unum proferre poſſint illi belli nomine commendatum, bellemus Chriſtiani. Permiſſum erat Hebræis bello conflictari, ſed conſulto Deo. At noſtrum oraculum, quod aſſidue nobis in Euangelicis literis reſonat, à bello deterret, & tamen belligeramur inſa-

nius,

© Biblioteca Nacional de España

nius, quam illi. David aliis virtutibus Deo fuit gratissimus, & tamen vetuit ab hoc sibi condi templum, non ob aliud, nisi quod sanguinarius, hoc est bellator esset. Solomonem pacificum in hoc delegit. Si hæc acta sunt inter Iudæos, quid de nobis fiet Christianis? Illi Solomonis umbram habebant, nos verum Solomonem, pacificum illum Christum omnia conciliantem, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra.

Bellum in Turcas.

Ego nec in Turcas bellum temere suscipiendum censeo. Primum illud mecum reputans Christi ditionem longe diversa via natam, propagatã, & constabilitam. Neque fortasse convenit aliis rationibus vindicari, quam quibus orta, propagataque est. Et videmus huiusmodi bellorum prætextibus iam tories expilatam plebem Christianam, nec aliud quicquam actum. Iam si fidei negotium agitur, ea martyrum tolerantia non militũ copiis aucta, illustra-

luſtrataq; eſt, ſin de imperio, de opibus, de poſſeſſionibus pugna eſt, etiam atque etiam videndum eſt nobis, ne res ea parum ſapiat Chriſtianiſmum. Quin ut nunc ſunt fere, per quos huiuſmodi bella geruntur, citius fiat, ut nos degeneremus in Turcas, quam illi per nos redantur Chriſtiani. Primum hoc agamus, ut ipſi ſimus germane Chriſtiani, deinde ſi viſum erit, Turcas adoriamur.

Principes ſint ſtudioſi pacis.

Verum de belli malis alias plura conſcripſimus, quæ non eſt huius loci repetere. Tantum illud hortabor Principes Chriſtiani nominis, ut omiſſis fictis titulis & fucatis prætextibus ſerio, totoque pectore hoc agant, ut tam diutina, tamque fœda bellandi rabies inter Chriſtianos finiatur, & inter eos, quos tot copulant pignora, pax & concordia coeat. In hoc ingenium explicent ſuum, in hoc vires expediant, in hoc conſilia conferant, in hoc nervos omneis intendant. qui magni videri ſtudent.

© Biblioteca Nacional de España

dent, ſic ſe magnos probent. Id ſiquis præſtiterit, is rem longe ſplendidiorem confecerit, quam ſi totam Africam armis ſubegerit. Nec admodum difficile factu fuerit, ſi ſuæ quiſque cauſæ blandiri deſinat, ſi ſepoſitis affectibus privatis rei communis negotium agamus, ſi Chriſtus nobis ſit in conſilia, non mundus. Nunc dum ſuum quiſque negotium agit, dum Pontifices & Epiſcopi de ditione, & opibus anxii ſunt, dum Principes ambitione, aut ira feruntur præcipites, dum his obſequuntur ſui compendii gratia omnes, in has nimirum rerum procellas incurrimus ſtulticiæ ductu.

Quod ſi communi conſilio commune negotium ageremus, etiam ea, quæ cuique privata ſunt, magis florerent. Nunc & hoc perit, pro quo ſolo digladiamur.

Neque mihi dubium eſt Principum illuſtriſſime, quin hoc ſis animo. Sic natus es, ſic ab optimis & in-

© Biblioteca Nacional de España

Pero ratiuncula ad Carolum Principem Maximiliani Cæsaris nepotem.

& integerrimis viris instituturus. Quod superest, precor ut Christus optimus maximus tuos egregios conatus bene fortunare pergat. Dedit ille incruentum imperium. Idem velit semper esse incruentum. Ille Princeps pacis dici gaudet. Faxit idem ut tua bonitate, tuaque sapientia tandem ab insanissimis bellis liceat feriari. Pacem nobis commendabit etiam præteritorum malorum recordatio, & tui beneficii gratiam superiorum temporum calamitates conduplicabunt.

FINIS.

© Biblioteca Nacional de España

© Biblioteca Nacional de España

© Biblioteca Nacional de España

© Biblioteca Nacional de España


BIBLIOTECA NACIONAL
1000598929